OBSERVATIONES CRITICÆ

DE

TRAGICORUM GRÆCORUM DIALECTO.

SCRIBEBAT

CAROLUS KÜHLSTÆDT, PH. D.,

REVALIENSIS.

COMMENTATIO D. XII. DEC. A. MDCCCXXVII. AB ORDINE PHILOSOPHORUM CÆSAREÆ UNIVERSITATIS LITTERARIÆ DORPATENSIS NUMMI AUREI PRÆMIO ORNATA, HUIUSQUE AUCTORITATE ATQUE IMPENSIS EDITA.

NARRATIONEM

DE NONNULLIS, QUAE ANTIQUARUM LITTERARUM STUDIUM APUD DORPATENSES ADIUVERINT,

PRÆMISIT

CAROLUS MORGENSTERNIUS.

REVALIÆ ESTHONORUM.

TYPIS LINDFORSIANIS.

1832.

Ex decreto Ordinis Philosophorum Caesareae Universitatis litt. Dorpatensis.

Dorpati, Calend. Iun. MDCCCXXXII.

CAROLUS MORGENSTERN D.,
loco Decani.

LECTURIS

S. P. D.

CAROLUS MORGENSTERNIUS.

Certaminum litterariorum institutum in Germaniae scholis academicis quam salutare et frugiferum se praebuerit, constat inter omnes. Nam in Universitate litterarum Georgia Augusta quotannis de quaestione publice proposita certantibus palma arridet, virens inde a mense Iulio anni cIↄIↄcclxxxiv., quo anno primum Heynius, ipse immortali memoria dignus, praeclarum munus regium tunc liberalissime constitutum renuntiavit. Et quis nescit, quam multis iuvenibus ex xlviii annis alma illa studiorum mater frondes perennes in manum dederit, quorum nonnulli ex illo ipso tempore

per virtutem suam in Palladis aede Musarumque sacrario nominibus splendent sempiternis. Gottingensis quidem Universitatis litterariae exemplum nobili aemulatione secutae sunt aliae Germaniae sedes litterarum, ut Heidelbergensis, Halensis, Ienensis, Kiliensis, Berolinensis, Vratislaviensis, Bonnensis, aliae. Nostra autem Embachina, ut paucissimae in Germania, statim a prima sua fundatione, Alexandri I. immortali beneficio, praemiorum certantibus oblatorum opportunitate gavisa est, eorumque optimi Imperatoris die natali distribuendorum. Cui diei faustissimo fortissimi fratris, Nicolai I., Imperatoris ac Domini nostri longe clementissimi, magnanimitas eorundem praemiorum et proponendorum et adiudicandorum decus integrum iussit servari, magnoque nummo aureo, victoriae pretio illi expetendo, imaginem in aeternum caram dilectissimi fratris, *τοῦ μακαρίτου*, intactam relinqui.

Philologiae veteris quidem studiorum quae facies esset in provinciis mari Baltico adiacen-

tibus, quum ego duobus tantum mensibus post apertas novae litterarum Universitatis fores a. 1802. Dorpati advenissem, a perillustribus, qui tum erant, Curatoribus publica auctoritate vocatus Eloquentiae, LL. Gr. et Lat., Antiquitatum, Aestheticae et Historiae Litterarum atque Artis P. P. O., simulque Bibliothecae academicae Praefectus, paucis significare haud supervacaneum esse arbitror, neque a re alienum. Nam quod in oratione aditiali, habita d. xii. Dec. cIↄIↄcccii. palam profiteri haud dubitabam, alias partes muneris mihi demandati vel adolescentum nostrorum existimatione commendationem suam secum ferre, antiquarum litterarum studia apud eosdem non ferre, vel certe minus quam oportebat, id verissime tunc dictum putabam. Nempe Livonia atque Esthonia quod tanto intervallo disiunctae sint a Germaniae centro litterario, et quod scholarum recte constitutarum beneque ordinatarum desit sufficiens numerus, has causas videri primarias tunc dicebam, cur Graecae Latinaeque

linguae omniumque, quae ab interiore illarum cognitione pendent, litterarum atque artium multo minus communis reperiatur appetitus multoque minus idonea ad eas praeparatio, quam in terris Saxonicis, Brandeburgicis, Hannoveranis, Wurtembergicis aliisque Germaniae. Curoniam quidem, Borussiae cultioris vicinam, sciebam in illustri Petrino habere, quum primum Mitaviam, paucis vero diebus post Dorpatum ipse salutabam, duos peritos Latinae Graecaeque linguae doctores, illum Matthiam Fridericum Watsonum, hunc eiusdem generum, Henricum Christophorum Libavium; at senem illum, brevi post mortuum; hunc F. A. Wiedeburgii, Helmstadiensis olim Professoris, discipulum, virum doctum et disertum, eundemque docendi sollertia probatum, cuius tamen scholas Graecas in Gymnasio publice habendas tunc non amplius octo fere ex Curoniae iuventute frequentarent. Latinae linguae tradendae serius accessit Ernestus Christianus Trautvetterus, edita Grammatica L. L.

aliisque scriptis, et philologicis et aestheticis, famam haud obscuram adeptus. Rigae vero Ven. Augusti Albani potissimum qui scholam cathedralem illo tempore, ipse illustris Moldani quod Grimae floret quondam alumnus, magna cum laude moderaretur, disciplina non paucos sane cives utriusque linguae veteris elementis probe imbutos novae litterarum sedi subinde mittebat. Atque vigebat ibi, quae olim per aliquot annos Lyceum Rigense rexerat, Caroli Gttlb. Sonntagii Saxonis virtus, summi post per Livoniam sacrorum antistitis, qui ipse quondam almae Portae alumnus, tum, gravissimo Beckio duce, Societatis philologicae Lipsiensis sodalis: iuvat enim amicorum defunctorum, praesertim eius, qui tantis alteram in patriam meritis eminuit, memoriam recolere. Dorpatensis quidem civitatis schola, rectore suo, Laurentio Ewersio, Sueco, Viro religionis priscae, ad primariam Theologorum cathedram tuendam evocato, modo orbata, aliisque difficultatibus la-

borans, tristissimo squalore obsita iacebat, ut ex novo, qui tum exspectabatur, rei scholasticae ordine vitam mox eamque laetiorem ei redituram, spes civibus adfulgeret. Revaliae Gymnasium haud segnius certe, quam Schola cathedralis eaque equestris, utriusque linguae elementa tradebat, laudato inter alios doctore decennio fere post (d. 10. Dec. 1813) mortuo, Gustavo Suerdsjoeo.

Praeceptorum domesticorum disciplinis philologicis rite initiatorum quum non magnus profecto numerus, immo penuria quaedam deprehenderetur, scholarum autem maiorum, si idem litterarum genus spectes, quis status fuerit, vel ex iis quae adumbravimus, intelligi facile possit: tanto optabilius evenit, quod, Consilio Universitatis litterariae Dorpatensis suadente, Summo universi Imperii Rossici institutionis publicae moderandae Collegio confirmante et iubente, inter quatuor Gymnasia in urbibus provinciarum primariis denuo constituenda (quatuor, inquam: nam Fenniae pars

Rossica quae tum erat, ditioni scholasticae Universitatis litt. Dorpatensis annumerabatur) Dorpati etiam Gymnasium est conditum, d. xv. Sept. a. cIↃIↃcccIV. inauguratum, mox idoneis linguarum, litterarum, disciplinarum doctoribus instructum, ex quibus hoc quidem loco honoris causa nominasse satis erit linguae Latinae magistrum, Simonem Magnum Malmgrenum, Suecum, Philos. D., munere suo strenue per tot annos fungendo, utiliter etiam scriptis quibusdam edendis bene meritum; et Carolum Ludovicum Struvium, Holsatum, Ph. D., qui e patris, Gymnasii Altonani Rectoris nunc emeriti, et Professorum Gottingensium disciplina prodiit: praestantem linguae Graecae magistrum, Philologum nunc clarissimum, qui ad Gymnasium urbicum Regimontanum regendum evocatus a. 1814., nuper in epistola eleganti, Quaestionum de dialecto Herodoti specimini secundo praemissa, Gymnasio Dorpatensi instaurationem sollemnium, quibus ante quinque lustra sub auspiciis Alexandri I.

esset inauguratum, pie est gratulatus. Neque praetereundus hoc loco Struvii successor, Gustavus Girgensohnus, Livonus, Instituti paedagogici Dorpatensis alumnus, tum primum in Gymnasio Wiburgensi, deinde in Dorpatensi, linguae Graecae praeceptor sup. ord., omni laude dignus. Wiburgi quidem ante eum insignis doctor fuerat Ludovicus Purgoldus, Gothanus, Iacobsii et Eichstaedtii, Philologorum praestantissimorum discipulus, auctor libri egregii: *Observationes criticae in Sophoclem, Euripidem, Anthologiam Graecam et Ciceronem* etc. Ien. et Lips. 1802. octon. Quem virum ex domus privatae Livonicae umbra, quum forte scholas Livonicas a. 1804. simul cum Ge. Fr. Parroto, collega, Physicae Professore iam emerito, de Universitate litt. Dorpatensi constituenda praeclare merito, nunc Academiae doctrinarum Petropolitanae ornamento, cum auctoritate publica visitarem, ad munus scholasticum Gymnasii suscipiendum mea persuasione motum laetabar, Berolini, ubi

aliquot annis post esset inter Regiae Bibliothecae custodes, praematura morte quum humanitatis studiis, tum Sophocli suo, cuius editionem diu meditabatur, ereptum dolebam.

Ludimagistrorum vero et paedagogorum hisce in terris largior proventus eorumque haud exigua emendatio exspectabatur magna ex parte ab *Instituto paedagogico* Universitatis litt. Dorpatensis, quod initium cepit ineunte anno MDCCCIII., moderantibus tribus eiusdem Universitatis professoribus, Eloquentiae ac LL. Gr. et Lat., quo ego primus munere fungebar, Philosophiae, quo amicus, etiamnum vegeta florens senectute, ita ut optime valeat ad Philosophiae historiam in opere suo de Pantheismo illustrandam, GOTTLOB BENIAMIN IÆSCHIUS, et Historiae, quo tum quidem GEORGIUS FRIDERICUS POESCHMANNUS, Numburgensis, morte praematura a. 1812. bonis litteris ereptus. Cuius instituti forma et descriptio continetur *Statutorum* Universitatis litt. Dorpatensis a. 1803. lingua Germanica apud nos promulgatorum

§§. 103 — 109. 117. Sed quod §. 106. postulabatur, ut omnes Ordinis Philosophorum Professores, quorum disciplina pertineret ad eas res, quae scholasticae institutionis orbem potissimum conficerent, Seminarii sodales una saltem per hebdomadem hora gratis docerent, et optima methodo singularum artium monstranda et exercitationibus sodalium practicis moderandis, si quidem eorum opera a Seminarii rectoribus requireretur, id nonnumquam quidem eventu non caruit plane: at multo rarius et circumscriptius habuit eventum, quam putarant, qui contulerunt ad Institutum illud paedagogicum sic, neque in nonnullis certe aliter, constituendum. Tamen vel sic idem illud fructibus suis in rem scholasticam Livoniae, Esthoniae, Curoniae, Fenniae cornu satis pleno defusis per aequos rerum arbitros haud defraudabitur, si qui melius aliquando cognorint accuratiusque perpenderint, quot quibusque impedimentis haud segniter remotis, non parvum quidem bonorum praeceptorum

numerum, quorum pars etiamnum viget et publice privatimque prodest, iisdem Rossiæ provinciis dederint illi, qui ab a. 1803. usque ad a. 1820. gratuito, nullo fere unquam ad eam rem alio, quam conscientiae suae praemio excitati, nullo fere lenimine quam gratorum quorundam discipulorum pietate sublevati, pro virili parte se exercuerunt in labore, etsi non iniucundo (nam quis labor honestus idemque publice utilis, viro iniucundus?) haud mediocri tamen. Atque ex his, qui animo nostro obversabantur illius aevi alumni Instituti paedagogici, unum iuvat nominasse, nuperrime (d. 4. Maii) mortuum, Ditericum Andream Mangelum, Equitem, (d. 20. April. a. 1783 Mitaviae natum,) a. 1805 — 1808. Instituti paedagog. Dorpat. sodalem. Qui, quae ipsi, sclopetorum fabri quondam tironi, eidemque, quem adolescentulum infelix quidam casus brachio sinistro privasset, obiicerentur difficultates, iis fortiter superatis, tandem per quatuor fere lustra in Gymnasio Wiburgensi praeceptor sup. ord., philologicis

atque historicis studiis dextre atque impigre tradendis virtutis suae desiderium civibus non magis quam magistris quondam suis reliquit.

Seminarium tandem philologicum, Statutorum anni cIɔIɔcccIII. §. 110. certa lege olim promissum, per novum *Statutum* Universitatis litt. Dorpatensis a. cIɔIɔcccxx. promulgatum, §§. 93—100. ita quidem quodam modo praescriptum est, ut *Seminarium* appellaretur *paedagogicum philologicum* (Paedagogisch-philologisches Seminarium), cui is finis esset praestitutus, ut Livoniae, Esthoniae et Curoniae idonei ludimagistri conformarentur. Cui instituto quaterni praeficiebantur moderatores: 1. Eloquentiae Professor; 2. Paedagogicae; 3. Philosophiae; 4. Linguae et Litterarum Rossicarum: ex quibus duo primi, qui iidem litterarum antiquarum Professores, alternis vicibus per semestre tempus Instituti fungerentur rectione. Ordo huius Seminarii secundum Statuti capita supra laudata accuratius expositus est libello singulari, Dorpati a. 1822. publica auctoritate per nos edito (*Reglement* für das

nach §§. 93—100. des Allerhöchst bestätigten Statuts der Kaiserl. Univ. zu Dorpat daselbst eröffnete. Paedagogisch-philologische Seminarium.) 15 pagg. quaternis. Quod diu fuerat in votis, id iam eventum coepit habere, postquam anno 1821. Seminarium paedagogicum et philologicum inchoaretur, ut laetiora caperent incrementa studia non paucorum almae nostrae Universitatis litterariae alumnorum philologica. Atque maiori iure exspectari id poterat, quum paulo post, auctumno eiusdem anni, de schola Flenopolitana, cuius esset Subrector, evocatus, mea quidem opera et collegis et Curatori illustrissimo primum commendatus, Dorpatum advenisset Philologus pereruditus, haud vulgari acumine praeditus, Ioannes Valentinus Franckius, Holsatus, Callino suo nonnullisque aliis scriptis in orbe litterario nomen insigne consecutus, Heinrichii, Kiliensis olim, nunc Bonnensis Universitatis litt. Professoris clarissimi, quondam discipulus, iam alter in Univ. litt. Dorpatensi LL. Gr. et Lat., simulque Historiae litterarum

et Paedagogicae P. P. O. Licet enim fieri non potuerit quin, per officii communionem ad consuetudinis familiaritatem quandam adducti, nos, ego et ille, pro diversa nostra et sentiendi et iudicandi ratione, in non paucis rebus, praesertim in re critica, haud raro dissentiremus; tamen in iudicio de indole discipulorum ferendo, ut in verissima eos praeceptis iuvandi voluntate, prope consentiebamus; cuncti vero Seminarii moderatores semper fere conveniebamus in consiliis de eodem ineundis. Sic strenue rem communem properantibus prospere evenit, ut plurium alumnorum studia, et in interpretandi exercitationibus coram habitis, et in scribendi disserendique periculis in tabulario Instituti post examen repositis, spem excitarent haud irritam operae magistrorum in iis formandis collocatae. Satis erit laudasse nomina Aemilii Lenzii, Dorpatensis, post ad Physicam potissimum tractandam conversi, in novissima Cl. Kozebuei navigatione circa terram peracta inter huius socios lecti, nunc Academiae doctrinarum Pe-

tropolitanae sodalis extraordinarii, a qua cum Cl. Kupfero in Caucasum missus, altissimum montem, Elbrus (Elbrouz) qui dicitur, dimensus est, deinde maris Caspii oras legens, ignis perpetui Bakunii naturam scrutatus accurate et diligenter; porro Ferdinandi Ioannis Wiedemanni, Hapsaliensis, Gymnasii ill. Mitaviensis nunc praeceptoris, variarum linguarum et veterum et recentiorum acri studio dediti; Ioannis Gotthardi Cedergreni, Livoni, nunc inter Gymnasii Revaliensis praeceptores spectati; Caroli Gotthardi Kühlstaedtii nostri, Revaliensis, Philos. Doctoris; Io. Henrici Neukirchii, Curoni, Ph. D.; Alexandri Th. Suerdsjoei, Revaliensis, Ph. D., primum scholae cathedralis Revaliensis, tum Gymnasii Rigensis Gr. L. praeceptoris sup. ord., quem modo edidisse audio doctam suam dissertationem de L. L. terminatione Genitivorum secundae Declinationis simplici littera I exeuntium; Eduardi Schlüteri, Rigensis, et Pauli Adami Beckeri, Revaliensis, nunc Petropoli, illius in Gymnasio, huius in Instituto Muraltiano, prae-

ceptorum; Ferdinandi Kraemeri, Revaliensis, Lycei quod Odessae floret, per breve tempus praeceptoris, et Georgii Friderici Zwingmanni, Rigensis, amborum aetatis flore inter optimas spes raptorum; Ioannis Krajewskii, Curoni, in rebus regum quorundam Macedoniae, Syriae, Aegypti, accuratius examinandis potissimum occupati; Caroli Alberti Rathlefii, Livoni, nunc in itinere ad exteros faciundo sustentati liberalitate Societatis cuiusdam Petropolitanae, coniunctae occasione festi in instauratione sollemnium, quibus ante quinque lustra sub Alexandri I. auspiciis Universitas litt. Dorpat. inaugurata, celebrati; quo in itinere comitem sibi adiunxit amicum, Paulum Aemilium Schatzium, Livonum, et ipsum quondam Seminarii nostri socium; Nicolai Mohri, Holsati, Ph. D., nuper (1832) disp. de locis quibusdam Horatianis (Carmm. lib. I. et Epod.) in doctorum hominum ora prodeuntis; pluriumque aliorum, quos, si locus permitteret otiumque conquirendis notitiis suppeteret, enumerarem libens. His, quos nominavi, si annumerentur, qui Seminarii non fuere Sodales ordinarii, nostra tamen olim usi sunt disciplina: non aegre illi ferent, scio; ut Henri-

cus Augustus Weyrauchius (de Weyrauch), Rigensis, nat. 1788., per breve tempus linguae Germanicae in Univ. litt. Dorp. Lector, Dresdae nunc otio litterario fruens, ut amicus eius, Carol. Constantinus Krauckligius noster, Curonus, qui gnaviter operam dat litteris elegantioribus. Weyrauchius vero, Vir ingeniosus, poetica et musica arte pariter insignis, hic commemorandus erat vel ob commentationem haud contemnendam, quae inserta legitur Symbolis meis Dorpatensibus (Dörpt. Beyträge, Vol. II. p. 364—415.); inscribitur autem: „*Herodot* und *Ctesias* über Indien." Ut Io. Dan. Braunschweigius, omnium Curoniae scholarum moderator vicarius, pluribus libris bonae frugis et historicis et paedagogicis cognitus etiam exteris; ut Augustus Carlblomius, Livonus, disciplinarum theologicarum in Gymnasio Dorpatensi per duodecim fere annos praeceptor sup. ord., spectatae fidei et peritiae, neque in philosophicis, ut decebat, disciplinis hospes; ut Ferdinandus Otto Ludov. Freymannus (de Freymann), Livonus, litterarum antiquarum olim studiosus Dorpatensis, post summorum etiam virorum, F. A. Wolfii, Aug. Bœckhii et Godofr. Hermanni auditor; primum

Gymnasii Regimontani, tum Rigensis, nunc Mitaviensis L. Gr. praeceptor sup. ord., ubique probatae in docendo religionis et sollertiae; ut THEODORUS FRID. FREYTAGIUS, Livonus, Ph. D., per plures annos Gymnasii Dorpat. praeceptor, deinde per breve tempus librorum Censor; editor eruditus (1831) Epistolarum selectarum a viris doctis ad Bilib. Pirchheymerum, Ioach. Camerarium, Car. Clusium et Iulium Episc. Herbip. datarum, a cuius studiis philologicis, nuper in lingua maxime Latina habitantibus, itinere etiam in Germaniam Italiamque facto redintegratis, spes est fore ut litterularum nostrarum fructus haud negligendi subnascantur, litterataeque gentis Frid. Gotthilf Freytagii illius sera proles abavi nomen tueatur. At vela contrahenda. Audio. Omittere tamen nolim ALEXANDRUM FRID. ERICHSENUM, Petropolitanum, Philos. D., Instituti nostri paedagogici prioris sodalem, scholae S. Petri Petropolitanae per aliquot annos inter praeceptores sup. ord., qui nunc Dorpati Institutum quoddam paedagogicum regit privatim. Nec silebo ALEXANDRUM N. STEPANOVIUM, Rossum, Institutorum philanthropicorum divae Imp. MARIAE FEODOROVNAE alumnum, post studia Dorpati transacta

in Lipsiensi Universitate litt. Godofredo Hermanno potissimum duce ita excultum, ut per aliquot iam annos in munere, quo fungitur scholastico praeceptor sup. ord. Gymnasii Witepskiani, continuare narretur Dorpati coeptam Grammaticam Graecam Rossica lingua ad Buttmanni aliorumque recentiorum praecepta conscriptam; neque Alphonsum Walickium, egregii Philologi, Godofredi Ernesti Groddeckii, Professoris Vilnensis, percari nobis, dum viveret, mutuo epistolarum certe usu amici, quondam auditorem; nec Demetrium Crucovium (Krjukow), Lithuanum illum, hunc Casanensem, ambo Philologiae Professorum Dorpatensium curae imprimis commendatos, eosque ad munus professorium antiquarum litterarum posthac rite obeundum prospero utique successu diligenter praeparatos, ut ad Historiae aliquando docendae provinciam suscipiendam ducibus Krusio et Blumio VV. Cl. informati sunt, Philologorum Dorpatensium, mea et Cl. Neuii, collegae eruditissimi eiusdemque nobis amici, prompta opera comite, Michael Luninus, Dorpatensis, et Michael Kutorga, Petropolitanus, Rossi. At morbo diuturno absumptum desideramus eiusdem loci bonae spei

iuvenem philologum, PAULUM SKLÆREVSKIUM, Pultawensem, sacerdotis filium, carminum Rossicorum fasciculo amici sui opera in lucem edito etiam post fata commendatum.

Instituendis quaestionibus philologicis ab Ordine Philosophorum Universitatis litt. Dorpatensis publice propositis qui concertantium praemia tulerint, de iis singulis iam breviter exponendum. Nummos igitur argenteos qui reportarent, fuerunt tres: primus CHRISTIANUS FRIDERICUS LINDEMANNUS, Mitaviensis, ob commentationem de hac quaestione, a. 1814. proposita, a. 1815. repetita: „Quum ex Historicis potissimum cognoscantur notiones morales, quae apud populos alios aliis temporibus obtinuerint: in HERODOTI opere indagentur atque illustrentur *notiones morales praecipuae,* quas scriptor prodit, quasque ipsius aetati attribuere licebit, eaeque cum notionibus moralibus, quae apud HOMERUM reperiuntur, passim conferantur, temporumque diversitas notetur ac demonstretur." Alter fuit FRIDERICUS KÜMMERLINGIUS, Livonus, qui respondit ad quaestionem a. 1817. propositam: „Quae sunt praecipuae, clarissimis Graeciae Philosophorum quae placuerint de *animae natura atque*

substantia sententiae? Ex quibus potissimum fontibus varia illa cogitata et placita sunt deducenda? Ex quibusnam principiis, quid veri falsive insit, est examinandum? Quam denique vim habuerunt in doctrina de *animae immortalitate* vel probanda vel reiicienda?" Auctor quidem aetatis flore exstinctus. Atque idem accidit tertio, NICOLAO SYLVESTRO KOSCHKUL., Rigensi, Theol. Stud., post in Gymnasio Ill. Mitaviensi praeceptori, qui de eodem argumento disseruit a. 1822., quod doctius nec sine criseos acrioris vestigiis tractaret Suerdsjoeus. Aureum nummum primus obtinuit a. 1810., ob doctam commentationem *de studio Criticae et Grammaticae apud Alexandrinos*, FRID. GE. GUILIELMUS STRUVIUS, Altonanus, Philologi frater natu minor, Astronomiae Professor Dorpatensis ille clarissimus, idemque iam Academiae doctrinarum Petropolitanae Sodalis ord., Eques, quem olim et ipsum sibi aliquando adscriptum fuisse Institutum nostrum paedagogicum prae se ferre amat. Tum is, quem supra nominavimus, ALEXANDER TH. SUERDSJOEUS, Revaliensis, a. 1822. nummum aureum reportavit commentatione, qua ritus sacri in HOMERO commemorati exponuntur, ita qui-

dem, ut simul respiciatur ad discrepantias, si quae reperiuntur, in adhibendis locis Homericis. Recentissimi vero qui nummi aurei praemium tulerunt, sunt Carolus Gotthardus Kühlstaedtius, Revaliensis, et Io. Henr. Neukirchius, Curonus, atque hic quidem 1828. dissertatione *de fabula togata, ac de L. Afranio, praestantissimo togatarum scriptore,* additis nonnullis fabularum Afraniarum reliquiis. Quae quum certis de causis, quas Neukirchius noster suo tempore ipse explicabit, edi nondum potuerit, promulsidis instar a. 1829. publice proposui minorem eius disputationem *de discrimine mimi qui proprie dicitur, et planipediae.* Iam quidem per duos annos apud exteros peregrinatur, Augustissimi Imperatoris auctus munificentia, quam egregia provocavit humanitas Celsissimi Principis, quem nunc summum institutionis publicae Moderatorem Rossia veneratur, rerum suarum vigilantissimum Curatorem Universitas litt. Dorpatensis per duo lustra pie suspiciebat. Tantoque beneficio dignum se praestabit adolescens philologus, mox, ut per ipsius litteras comperi, *omnium Fabulae togatae fragmentorum* criticam syllogen daturus, aliquando autem nobi-

lissimi Grammatici, *Nonii Marcelli*, novam editionem.

Nunc tandem de KÜHLSTAEDTIO locus postulat ut quaedam curiosius praemoneam, narratione de re communi ad finem perducta. Is igitur, postquam scholas nostras philologicas, meas et Franckii, assidue frequentavit, eodemque fere tempore per triennium Seminarii paedagogici et philologici Sodalis fuit, discendique ardorem, humanitatis elegantiaeque sensum doctrinaeque laudabiliter partae copiam nobis luculenter probavit, quum ab Ordine Philosophorum a. 1825. concertaturis disputatio proponeretur *de Dialecto Sophoclis ceterorumque Tragicorum Graecorum* ita tractanda, ut potissimum respiceretur ad THEOPH. CAR. GUIL. SCHNEIDERI, Vimariensis, eiusdem argumenti criticas quaestiones a. 1822. (63 pagg. octonis) in lucem emissas, acri suo studio consecutus est non solum, ut eius dissertatio, Schneideri libello longe et accuratior et uberior, a. 1826. nummi aurei praemio condecoraretur, sed etiam, me quidem auctore, digna censeretur, quae sumptu publico typis exscriberetur, si prius nonnulla amplificata fuissent ab

auctore atque emendata. Quae diligentius se indicaturum Franckius promisit: cui promisso collegam eruditissimum plene satisfacturum tanto facilius sperabamus, primum quod subministraverat indicem permultorum locorum ex recentiorum potissimum Grammaticorum commentariis depromptorum, quos ipsi assidua praebuisset lectio, adscriptorum margini libelli Schneideriani; tum quod in quintam fere partem opusculi Kühlstædtiani iam impertiverat auctori doctas, quas ille in usum suum converteret, animadversiones. Tamen res amplius non processit, quum Franckius suis laboribus litterariis, praesertim gravissimis illis epigraphicis, quam maxime intentus, otio alienae operae impendendo omnino careret, Kühlstædtius autem finito cursu academico a. 1827. exeunte Candidati Philosophiae honorem consecutus Dorpatum reliquisset, iam Revaliae Tragicis Graecis assidue legendis telam inchoatam pertexere ipse studeret, mense autem Iunio a. 1829. iter ad exteros susciperet, sustentatus beneficio singulari patrui sui, Viri optimi d. 16. April. 1829. Revaliae defuncti, Henrici Nicolai Kühlstædtii, M. D., Equitis, in Nosocomio militari Revaliensi Archiatri, Ross. Imp.

a consiliis publicis. Atque in illo itinere Philologorum praestantissimorum, Lipsiae quidem Hermanni, Schaeferi et Guil. Dindorfii, Monachii Thierschii, Regimontii Lobeckii suffragiis se excitatum libens praedicat ad commentationem suam, si fieri commode posset, typis exscribendam. In patriam reversus, qualem in schola aliqua maiori tuendum sperare atque adeo exspectare iure quodam suo posset, locum non statim nactus, quum vacuus forte esset nullus, primum, ut fit, animum despondere, aliorum benevolentiae suisque ipse viribus plus quam par erat diffidere; at mox mea potissimum amica adhortatione commotus ad studia sibi adamata alacri redire mente, obfirmatoque ea persequi animo. Nam Franckio improvisi morbi dira acerbitate litteris atque Academiae Dorpatensi erepto meum esse putabam, iuvenis ad egregia tendentis indolem et doctrinam satis superque mihi cognitam ac perspectam denuo impensius commendare collegis; insuper vero Ordini Philosophorum Universitatis litterariae Dorpatensis meum declarare propositum totam accurate recognoscendi scriptionem, et singulas quasque plagulas, Revaliae, ut auctor optabat, ipso in-

spiciente typothetis traditas, meo, antequam imprimerentur, examini qualicunque subiiciendi. Qua in re Philosophorum Ordo, quod grati agnoscimus, perfacilem se nobis praebuit, ut iam, licet lente, omne negotium, quantum fieri inter alia munera obeunda potuit, diligenter, ne dicam religiose, nobis sit peractum. Si quid forte tamen in maculis abstergendis vel mea vel auctoris culpa praetermissum est, quod haud ignoramus quam facile fieri potuerit in re tenui agenda ab operis parum exercitatis, atque in urbe quae alia potius omnia quam huiusmodi scriptiones prelis suis subiectas unquam vidit, aequos certe arbitros haud inique id laturos non modo spero, sed etiam confido. Doctissimus autem libelli auctor utinam in patria mox consequatur locum cum ipsius indole doctrinaque plane congruentem.

Dab. Dorpati, m. Iun. 1832.

OBSERVATIONES CRITICÆ

DE

TRAGICORUM GRÆCORUM DIALECTO.

V. C.

CAROLO MORGENSTERNIO

PRÆCEPTORI DILECTISSIMO

EXIGUUM HOC PIETATIS MONUMENTUM

SACRUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Observationes nonnullae criticae
de
tragicorum graecorum dialecto.

De hiatu.*)

Si duorum vocabulorum, juxta se positorum, alterum in vocalem litteram desinit, alterum cum vocali incipit, ita ut priore vocabulo pronunciato labra non comprimantur, sed propter sequentem vocalem hient, atque spiritus tam lenis quam asper audiendo discernatur, eiusmodi oris hiatum χασμωδίαν graeci vocabant. Qui ab Ionibus mollioribus sedulo quaesitus atque arcessitus quum atticis in primis auribus aeque ingratus esset, quam alia quaevis vocalium litterarum cumulatio, apud tragicos poetas per-

*) Quum Schneiderus in libello, quem de Tragicorum graecorum dialecto conscripsit, crasis atque elisionis varias formas satis copiosa quaestione pertractaverit, ad hanc potissimum materiam prae ceteris accurate explorandam ipsa rei difficultas nos impulit. Ex ceterarum quaestionum serie eas tantummodo selegimus, quas ab illo minus diligenter excussas iterum in iudicium vocare visum est.

raro, aliquanto saepius apud comicos invenitur, ut qui a vulgi sermone propius abessent. Duplicis generis esse hiatum, ita videlicet, ut aut prior vocalis brevis sit, neque longa corripiatur, aut prior, tam longa vocalis quam diphthongus, brevis fiat, id quidem commemoravisse satis est, quum Matthiaeus in gramm. gr. ampl. §. 42 totam hanc materiem magna cum doctrina atque perspicuitate exposuerit, exemplorum larga copia e Tragicorum etiam Aristophanisque fabulis in medium prolata. — Prioris generis hiatus, proprie ita dictus, de quo nonnulla liceat iis adiicere, quae Matthiaei grammatica continet, in tragoediarum lyricis praecipue partibus passim reperitur, ut in arsi, in exclamationibus, in vocativis (v. Reisigii Conjectt. p. 168 et Commentt. Critt. in Soph. Oed. Colon. p. 210; Herm. elem. d. m. p. 373; Seidler de vv. dochm. p. 80 sq.) in interrogationibus, et imperativis; porro vocabulo aliquo cum vi quadam repetito, et duobus vocabulis maiore sententiarum intercapedine, ideoque maiore quam dicunt, interpunctione diremtis; (v. Wellauer ad Aesch. Choeph. 924; Herm. elem. d. m. l. l. et p. 250; eund. ad Soph. Phil. 1187.) admittendus denique hiatus personis mutatis, v. Soph. Phil. 1191 Herm. et in exitu versus, qui interpunctione finitur, (v. Herm. ad Soph. Oed. Col. 1754.) quum propter pausam in pronuntiando factam versus numeri cum sequentibus numeris continuari non possint, ut Eur. Bacch. 145 Herm. — *ἱέμενος εἰς ὄρεα φρύγια, λύδια· ὁ δ' ἔξαρχος, Βρόμιος, εὐοῖ·* ubi neque *θ'* inseri post *λύδια*, neque elisionem particulae ferri

posse optime docuit Hermannus, quem v. ad Eur. Ion. 702. Quomodo enim elisio pronunciando exprimi poterit, si pausa, quam loci sententia requirit, vocem paulisper cohibere cogit? In Senarii exitu eiusmodi hiatus exempla aliquanto rarius inveniuntur; v. Eur. Med. 510 *θαυμαστὸν δέ σε ἔχω πόσιν καὶ πιστὸν ἡ τάλαιν' ἐγώ* ibique Porsonem, et Elmsleium ad v. 362; Soph. Ai. 1061 Herm. *ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν ἐς βυθὸν πεσεῖν*. Quae certissima loca quum nullo modo removeri possint, praeter necessitatem videtur Hermannus signum interrogationis addidisse in Eur. Bacch. 1033 *ἔνεπέ μοι, φράσον, τίνι μόρῳ θνήσκει; ἄδικος, ἄδικά τ' ἐκπορίζων ἀνήρ* in fine prioris versus, ad hiatum excusandum; cf. Eur. Alcest. 78 *τί σεσίγηται δόμος Ἀδμήτου; ἀλλ' οὐδὲ φίλων τις πέλας; οὐδείς*, ubi v. Monk. et Wüstemann.; quibus adde Eur. Hippol. 1350 *σχές, ἀπειρηκὸς σῶμ' ἀναπαύσω ἒ, ἒ* ubi v. Monk., Seidl. de vv. dochm. p. 80, Herm. elem. d. m. p. 372 licet in systematis anapaesticis maiorem quandam fuisse licentiam, quam in dochmiacis, ut h. l. minime ignorem. Quem enim in trimetro iambico ipse probaverat hiatum, l. l. multo facilius ferre debebat in chori cantu. Quod enim dicit, priore versu chorum interrogare, quomodo ille perierit, altero ad ea, quae nuntius dixisset, respondere, id quidem, si non alienum, certe necessarium non est. Immo vero uno tenore procedunt duo versus illi in unam sententiam conjungendi, neque in secundi quidem exitu interrogandi signo opus est, iure a ce-

teris omnibus editoribus omisso. Contra interpunctione sive majore, sive minore in fine prioris versus addita, longe frequentius in trimetris etiam auditur hiatus, quippe qui minus ingrate in aures cadat, ideoque facilius excusetur. Exemplorum copia, quamcunque tragoediam evolvas, ubique obvia erit. V. Soph. Ai. 1059, 1064, 1065, 1072, 1073 et cet. Quapropter sine causa dubitatum esse videtur, num in universum tragici hiatum in trimetris sibi indulserint. Licet enim tragicum dicendi genus, epici aemulum, a vulgari populi sermone longe recessisse satis constet, tamen certae quaedam loquendi, in primis interrogandi formulae, ideoque sollemnes quidam atque communi usu confirmati hiatus prorsus evitari non poterant, qui sine aurium offensione, quoniam elisioni in iis locus non erat, etiam in tragica scena versati fuisse videntur. Hic praeter locutiones quasdam cum particula εὖ compositas, ut εὖ οἶδα, εὖ ἴσϑι, de quibus v. Add. ad Buttm. Gr. gr. ampl. §. 29, not. 1 enumeranda sunt τί οὖν; τί εἶπας; τί ἔστιν; alia id genus; v. Wunderi Adverss. in Soph. Philoct. p. 44. Num τί αὖ, quod legitur apud Arist. Thesm. 852, ferendum sit etiam apud Soph. Phil. 1078 τί αὖ μοι τὸ κατ' ἦμαρ ἔσται; quod pro vulgata, τί ποτ' αὖ legendum proponit Wunderus l. l. ut versus respondeat antistrophico κραταιαῖς μετὰ χερσὶν, non iniuria in dubitationem revocatum est. Licet enim τί αὖ, in melica praesertim tragoediae parte, similibus interrogandi formulis quodammodo defendatur, tamen invitis codicibus tales hiatus sine idonea caussa tragicis inferendi non sunt. Accedit, quod illae formu-

lae, vitae communis usu ubique comprobatae, per se interrogationem efficiunt integram, τί αὖ vero incipere tantum solet interrogationem, ut Ar. l. l. τί αὖ σὺ κυκανᾷς; itaque Hermanni conjecturae, τί ποτέ μοι, quam recipere non ausus est, aliam qualemcunque opponere liceat: τίπτ' αὖ μοι, in quam incidi, locum Aeschyleum recordatus in Agam. 949 τίπτε μοι τόδ' ἐμπέδως. — Proxime accedit haec lectio ad vulgatam, τί ποτ' αὖ, et in basi glyconeorum saepius iambo opponi solet spondeus, quam anapaestus admodum suspectus, cujus ipse Hermannus hoc unum exemplum in medium protulit in Elem. d. m. l. l. Quanam ex caussa idem Hermannus τί εἶπας, quod alibi in trimetris agnoscit, apud Soph. Phil. 905 sine librorum auctoritate cum Valckenario et Erfurdtio in τί μ' εἶπας mutaverit, nondum me satis perspexisse fateor. Τί μ' εἶπας, ait, non quid de me, sed quid in me dixisti significat; id quod sine argumentis non crediderim. Neque enim τί μ' εἶπας, nisi fallor, aliud quidquam esse potest, quam „quid de me dixisti." At vero neque hoc neque illud h. l. necessarium est. Sufficit enim simplex quaestio Philoctetae, Neoptolemi minis perterriti: οἴ μοι, τί εἶπας; quod Wunderus, Dindorfius, Matthaeius alii recentiores recte servaverunt. Cf. Matthaeium ad v. 723 ubi τί ἔστιν omnium librorum consensu firmatum, Erfurdtius, Porsoni obsequutus, (quem v. ad Eur. Phoen. 892) in τί δ' ἔστιν mutavit; ceteri omnes vulgatam intactam reliquerunt. V. Herm. ad h. l. et elem. d. m. p. 50. — Philoct. 100 τί οὖν μ' ἄνωγας; quod cum omnibus libris etiam Scholia praebent, Wakefieldium

sequuti Erfurdtius et Monkius ad Eur. Hipp. 975, ubi cf. Valckenaer (971), perperam in τί μ' οὖν ἄνωγας; corrigendum putaverunt; aeque religiose in Porsonis verba iurantes, ac Blomfieldius, qui apud Aesch. Sept. 193 τί δ'οὖν scripsit pro τί οὖν, merito notatus a Wellauero, quem v. ad Eumen. 862. Adde Aesch. Suppl. 302, τί οὖν ἔτευξεν ἄλλο δυςπότμῳ βοΐ; Pers. 773 τί οὖν, ἄναξ Δαρεῖε; Certissima quaeque hiatus exempla congessit ipse Blomfieldius ad Aesch. Sept. l. l., sed in iisdem emendandis operam perdidit, Porsonisque magistri regulam, quam tutari conatur, maxime dubiam reddidit. Ideoque non assentior Porsoni, qui in Eur. Phoen. 892 ἅ'γὼ τί οὐ δρῶν, ποῖα (libri mendose ὁποῖα) δ' οὐ λέγων ἔπη εἰς ἔχθος ἦλθον παισὶ τοῖσιν Οἰδίπου; librorum lectionem mutavit ita: κἀγὼ τίν' οὐ δρῶν — cetera omnia hiatus exempla vitiosa esse ratus. Neque enim intelligo, quomodo e Porsonis sententia τίνα ad ἔπη commode referri possit; quid enim sibi vult τίν' οὐ δρῶν ἔπη? Nisi fortasse confugere volumus cum Matthiaeo ad zeugma, quo ex ἔπη sequente repetendum sit ἔργα. Aeque durum atque alienum mihi videtur, quod Bothius, Porsonis explicationem defensurus, e Matthiaei notula ad Eur. Orest. 1. attulit: „ἔπος est res, quatenus oratione declaratur." Licet igitur τίνα pro numero singulari τί probari possit exemplis, v. Eur. Helen. 456. Sophocl. Trach. 1193, tamen neque omnium librorum lectio τί οὐ δρῶν, neque ἅ'γὼ, quod defendi posse fatetur ipse Porso, mutandum erat in κἀγώ. Reisigius in Conjectt. proponit ἅ'γὼ τί δρῶν οὐ, quod propter

particulam minus usitate collocatam reiiciendum esse vidit Matthiaeus, qui tamen loci constructione parum intellecta de anacolutho loquitur, ubi non adest. Legendum existimat ἅ'γὼ — τί δ' οὐ δρῶν, — quoniam Euripides dicere voluerit: ἃ ἐγὼ ἀτελῆ ποιεῖν θέλων παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ εἰς ἔχθος ἦλθον. Quam aposiopesin ita supplendam unde arripuerit prorsus me latet. Hoc tantum scio, eam unicuivis durissimam videri debere. Neque vero allata fuisset a Matthiaeo, si Scholion non spernennendum meminisset: λείπει ἡ διὰ, δι' ἃ λέγων· ὁ δὲ νοῦς, πράττων καὶ λέγων πολλὰ ἐμισήθην ὑπὸ τῶν παίδων τοῦ Οἰδίποδος. Narrat videlicet Tiresias, Oedipum filios suos impios devovisse: „quapropter i. e. quibus diris commotus, cum eos monuissem, (ut pietatis officiis satisfacerent,) et nihil indictum, nihil infectum reliquissem, eorum inimicitiam mihi contraxi.“ Poeta vero, quum exprimere vellet, „nihil indictum, nihil infectum reliqui,“ id per interrogationem significat: „quidnam ego non feci?“ De qua loquendi forma Matthiaeus apte laudavit Ruhnkenium ad Rutil. L. p. 54 et Blomfieldium in glossario ad Aesch. Pers. 1013. Ita vero omnis anacoluthi species prorsus evanescit, neque iam necessarium est, ut cum Bothio post ἅ'γὼ commate interpungamus. — Neque praepositionem περὶ tragici in diverbiis ante vocalem litteram admittunt. Quin etiam id pro vitio habuisse videntur in melicis, ubi adiectiva tantummodo et adverbia, sed raro admodum, cum περὶ composita inveniuntur. V. Porsonem ad Eur. Med. 284. — Praepositio πρὸ neque unquam eliditur, neque te-

mere a tragicis (nullum enim ad manus est exemplum) poetis ante vocalem litteram adhibita fuisse videtur; in verbis compositis προέτρεψε, προέβη, προεξένεις, προόπτος etiam apud prosaicos in προὔτρεψε, προὔβη, προὐξένεις, προὖπτος, coronide superimposita, per synaloephen, sive e veterum grammaticorum loquendi usu, per crasin cum sequenti vocali contrahitur. Sed verae crases, e nostra etiam consuetudine, vocari possunt προὐλίγου, πρὸ ὀλίγου, προὔργου, πρὸ ἔργου; v. Buttm. Gr. gr. §. 29, not. 21, et Etymol. Magn. pag. 763, 9. Librarii tamen saepe synaloephen negligebant; v. Popponem in Prolegg. ad Thucyd. I. p. 216. — In duobus fragmentis, ab Athenaeo servatis libr. IX. p. 469, b. τούτῳ προέπιεν ὁ βασιλεὺς κώμην τινά et XIII. §. 580. c. ἐπεὶ προέβη τοῖς ἔτεσιν ἡ Γνάθαινα, καί, formae contractae metrum violarent, cui succurrit Piersonus ad Moerid. p. 302 legnedo: τούτῳ δὲ προὔπιεν et ἐπεὶ δὲ προὔβη. — Ceterum haec contractio plerumque in augmentis verborum reperitur; neque enim προὖδρος, προὐκφέρω, προὔρχομαι leguntur pro πρόεδρος, προεκφέρω, προέρχομαι. Inveni tamen προὐμόσας, i. e. προομόσας in Aesch. Agam. 1169. Cf. Koen. ad Gregor. Cor. p. 116. ed. Schaef. Maittair. de dial. p. 21. ed. Sturz; Stephanus in Thesaur. s. v. προὔβη; Buttm. Gr. gr. l. l. cum Add. p. 393. — Qua data occasione non praetermittendus est locus Sophocleus in Antig. 208, ubi Hermannus pro vulgata προέξουσ' e codice Augustano dedit προσέξουσ'. Quam emendationem si lectoribus probare voluisset, certe locutionis admodum dubiae προσέχειν

τι ἔχειν τινος, i. e. habere, sive consequi aliquid ab aliquo, exempla nonnulla proferre debebat. Neque video, cur improbanda sit loci sententia, quam vulgata praebet. Creon „a me quidem, ait, nunquam mali prae bonis honorem adipiscentur," id quod etiam cum sequentibus optime quadrare videtur. Cf. Meinek. ad Menandr. p. 45, et Schneider. ad h. l. Cf. Eur. Med. 1048, ubi legitur προέσθαι. Si enim spiritus asper insidet alteri syllabae, ut in verbis ἕξουσι et ἕσθαι, hiatus eo facilius excusatus fuisse, neque unquam contractio vocalium litterarum locum habuisse videtur.

De elisione.

Praecipuum hiatus remedium apud Atticos quidem est vulgaris illa pronuntiandi ratio, qua duae syllabae in unam coalescunt. Veteres grammatici eam communi nomine συναλοιφὴν nuncupant, cuius duo genera discernuntur, elisio et crasis (ἔκθλιψις, κρᾶσις). Nam a l i i l e g i subiecta sunt vocabula, quae per elisionem aut cum p r a e g r e s s i s, aut, quod rarius fit, et a Buttmanno non sine idoneis argumentis, ut infra videbimus, prorsus negatum est in gr. gr. §. 30. not. b, cum s e q u e n t i b u s vinciuntur, quarum alteram rationem postelisionem, ἐπίθλιψιν, alteram prodelisionem, πρόθλιψιν, parum accommodate, vocat Schneiderus, a l i i, quidquid e duabus vel tribus syllabis vere coalescit in unam; quod commode monuit Wolfius in Anall.

litt. I, P. II, p. 440. Sed ne crasium fines nimis arta definitione circumscribamus, primum in varia elisionum genera inquirere praestabit. — Elisionem, ἔκθλιψιν, quam Schneiderus appellat postelisionem, definitam invenies in Excerptt. e Cod. Paris. apud Gregor. Cor. p. 678 ed. Schaef.; Choerob. apud Goettling. ad Theod. p. 222; Matth. gr. gr. I, pag. 105; Buttm. I, p. 113 not. — Draco Straton. p. 157. sq.

Elisio est, si brevis vocalis littera aut ante aliam vocalem aut ante diphthongum eiicitur, eiiectaeque locum obtinet apostrophus, ita ut duo vocabula pronunciando in unam coniungantur. Omnium frequentissima est elisio brevium vocalium α, ε, ο, et ubique obvia. A nunquam eliditur in ἄνα i. e. ἀνάστηθι, vulgo occurrit exclamatio ἀλλ' ἄνα; neque solum apud Homerum, verum etiam passim apud tragicos poetas; v. Soph. Ai. 194 ubi cf. Herm.; adde Seidler. ad Eur. Troad. 98. Neque unquam ε in tertiis singularis numeri personis ante ἄν elidi censet Elmsleius ad Eur. Med. p. 150, not. cuius exempla e tragicis allata paullo accuratius perpendere haud alienum erit. 1) Aesch. Choeph. 841 Well. οὔτοι φρένα κλέψειαν ὠμματωμένην. Quam lectionem vulgatam mutavit Stephanus in κλέψειεν, Heathius in κλέψει' ἄν, quem omnes recentiores sequuti sunt. Alii, syllaba ultima vocabuli φρένα ante κλ producta offensi, aliter emendaverunt; Monkius ad Eur. Hipp. 482 οὔτοι φρέν' ἄν κλέψει' ἄν, Erfurdtius ad Soph. Ai. 1109 οὔτοι τι φρένα κλέψει' ἄν. Elmsleius ipse οὔτοι φρέν' ἄν κλέψειεν, quod equidem praetulerim,

dummodo omnino opus esset emendatione. Nam persuaserunt mihi Lobeckius ad Soph. Ai. 1109, Seidlerus ad Eur. Electr. 1053 et in libro de vv. dochm. p. 21, Wellauerus ad Aesch. Prom. 612, Dindorfius ad Arist. Acharn. 545, Porsonem regulam suam ad Eur. Hecub. 64, de brevi littera vocali ante mutam cum liquida vocabuli subsequentis non producenda, nimis extendisse. Qua ex regula quamvis egregie Erfurdtius ad Ai. l. l. multa loca correxerit, tamen eiusdem generis aliquanto plura emendatu difficiliora supersunt. Videtur potius talis licentia in earum numerum referenda esse, quae ab epicis poetis, ut alia multa, ad tragicos transierint. Sed de his alio loco pluribus disserendum erit. Hoc tantum monere volui, propter metrum Elmsleii emendationem necessariam mihi non videri. At vero offendebar olim plurali numero *κλέψειαν*, quum in tribus antecedentibus versibus poeta singulari usus sit, quem praeter supra memoratos editores Blomfieldius etiam et Vossius in germanica Aeschyli versione praeferendum censuerunt. Sed quum v. 835 chorus *πυνθάνου δὲ τῶν ξένων ἔσω παρελθών·* dixerit, iam ad pluralem numerum oratio commode redire posse videtur. Accedit, quod aliquanto aptius videri debet, si Aegisthus fraudis suspicionem non in unum hospitem, verum etiam in eius comitem movet. Mirum enim foret, si nunc repente ita loqueretur, quasi unus tantum hospes nuntium illum attulisset. — Quod vero ad Hermanni regulam attinet, quam proposuit ad Soph. Ai. 904: „optativum aoristi, ubi praeteriti significatio insit, sine *ἂν* poni; cum ea particula autem, ubi futurum intelligatur," id quod in h. l.

caderet, gravissimum mihi, re iterum iterumque diligentius perpensa, scrupulum de eius veritate iniecerunt, quae contra Hermannum disputavit sagacissimi vir ingenii Reisigius, in Comment. de part. ἄν, Nubium editioni adiecta, p. 123—130; 132—136. Simplicem videlicet optativum usurpari docet, cum aliquid hypotheticum ita ponatur, ut ab ipso, qui loquatur, non certa ratione, sed quodam cogitandi arbitrio sit sumptum, i. e. ubi optativus eiusdem verbi per conditionem sit additus, ut κακῶς μαχέσαιτο, εἰ μαχέσαιτο· regulamque aptis certisque locis tam egregie confirmat, ut nunc iam, commentatione illa retractata, parum absit, quin omni ex parte eius sententiam amplectar. Itaque e Reisigii praeceptis locus Aeschyleus sic fere explicandus esset: οὔτοι φρένα κλέψειαν ὠμματωμένην, εἰ κλέψειαν, i. e. „non fallent nuntii isti animum meum acerrimum, si forte malam fraudem facere velint," sive „si fraudatores sint." Fieri quidem possit, ut Reisigium ab hac explicandi ratione impediat vocabulorum collocatio, propter quam solam penitus laborare dicit optativum, ἄν particula carentem, apud Eur. Iphig. Aul. 1209 οὐδεὶς πρὸς τάδ' ἀντείποι βροτῶν· (cf. Thiersch. gr. gr. §. 336, 3, not. 1.) Sin vero dicatur πρὸς τάδ' οὐδεὶς ἀντείποι βροτῶν, explicari posse censet: nemo repugnet hisce, si quis omnino repugnet, (εἴ τις ἀντείποι). Sed quum p. 130 in locis Homericis et Theocriteis negationem praecedentem patiatur, neque hic, ubi sermo est de vi atque usu optativi et particulae ἄν, tragicum dicendi genus ab epicorum usu separet, iam adversario eius nihil aliud supererit, quam ut ipsam explicandi ra-

tionem illam impugnet; id quod Elmsleius et Hermannus fecerunt quidem ad Oed. Col. 43, neque tamen ita prospere, ut eam convellerent. Accedit, quod ipse Hermannus ad Soph. Phil. 883, ad Oed. Col. 1174 et 1420 aliquatenus ad Reisigii praecepta sese accommodavit, et in secunda Aiacis editione regulam olim propositam omisit. Cf. eund. ad Viger. p. 818, 944, sq. Reisig. p. 118, sq. Wellauer. ad Aesch. Choeph. 578. — Recte igitur ἂν h. l. omitti potuisse, vulgatamque servandam esse duxit Wellauerus. — Quae eadem de re difficillima exposuit Matthiaeus ad Eur. Hipp. 468, vagi nescio quid et incerti continere videntur, ideoque Elmsleii exempla ad Matthiaei praecepta exigere ac digerere sine haesitatione non possum. Quomodo enim, quod dicit, ἂν designare consequentiam conditionis, seu id, quod fieri dicatur, si aliud quid factum sit, ita ut optativus per se rem cogitatam tantummodo significet, quomodo hoc, inquam, in hunc locum cadit? Num dicamus, ad κλέψει' ἂν supplendum esse εἰ καὶ βούλοιτο, vel simile quid, an κλέψειεν rem cogitatam tantummodo significare? Alterum illud ei praeferendum videri, grammatica eius ostendit p. 113. „Memorabile est, ait, quod ε tertiae personae Opt. Aor. I. Act. ειε rarissime apud Aeschylum, (nam Choeph. 841 legendum putaverim οὔτοι φρέν' ἂν κλέψειαν ὠμματωμένην,) Sophoclem et Aristophanem nusquam, apud Euripidem semel eliditur Orest. 700. Ceterum non est, quod moneam, me, licet hoc exemplum Elmsleio condonandum putem, tamen ideo dubiam tertiae personae elisionem nondum prorsus negare, quippe quam ne Elmsleius

quidem e poetis atticis omnino tollere conetur. Neque enim Arist. Plut. 1013 ἔπειτ' ἴσως ᾔτησ' ἂν εἰς ὑποδήματα, quod plurimi iique melioris notae codices exhibent, emendare ausus est, neque:

II) Eur. Ion. 368. Herm. χρόνος δὲ τίς τῷ παιδὶ διεπεπραγμένῳ; Σοὶ ταὐτὸν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχ' ἂν μέτρον. — Elmsleius „si certum esset, ait, Atticos eam elisionem vitasse, facile reponi posset σοὶ ταὐτ' ἂν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχεν μέτρα.“ Immo vero multo facilius corrigere potuisset εἶχεν μέτρον, quo unicum tale exemplum e tragicorum fabulis removeretur. Hermannus, non dubitans, quin corrupta sit vulgata, putat legendum esse ἔχων μέτρον, ut ἔχων ad χρόνος referatur, quod Seidlerus, (v. praefat. p. IX.) displicere sibi ait propter additum εἴπερ ἦν, vel σοὶ ταὐτὸν ἥβης, εἴπερ, εἶχεν ἂν μέτρον, ubi ellipsis εἴπερ scil. εἶχε ταὐτὸν ἥβης μέτρον, nimis insolita nemini fortasse probabitur. —

III) Soph. Electr. 902. ἀλλ' οὐδὲ μὲν δὴ μητρὸς οὖθ' ὁ νοῦς φιλεῖ τοιαῦτα πράσσειν, οὔτε δρῶσ' ἐλάνθανεν. — Ἐλάνθανεν codices habent, plurimaeque, quas inspexi, recentiores editiones. Heathium auctorem sequuti Brunckius, Porso et Matthiaeus ἐλάνθαν' ἂν edendum curaverunt. Sed v. Herm. ad Arist. Nub. 1344 et Eur. Hec. 1087. Elmsleius, qui olim coniecerat οὔτε δρῶσ' ἂν ἔλαθεν ἂν, repugnante Hermanno ad h. l. postea sententiam mutavit ad Eur. Bacch. 1311, ἐλάνθανεν ideo defendendum ratus, quod valeat λήσειν ἔμελλεν. V. eund. ad v. 612; et cf. Aesch. Agam. 480. Quod quomodo restringendum sit, optime docuit

Herm. l. l. Proprie enim particulae omissio formula rhetorica est, quae fieri vel factum esse sumit, quod certa sub conditione factum iri dicendum fuerat. Apte comparari potest Horat. Od. II, 17, 27: „me truncus sustulerat, nisi Faunus ictum dextra levasset." Similem enim syntaxin optimum quemque latinum scriptorem imitatum fuisse, exemplis ostendit Reisigius, p. 138 et 139, discrimine tamen inter indicativum simpliciter positum, et particulam ἂν graece additam, sive coniunctivum latinum, interposito. „Simplex enim modus ille, ait, eventum significat veritati proximum, et iam certissimum, nisi ex conditione esset aptus, alterum paullo est incertius et magis dubie dictum." Cf. Popponis Prolegg. in Thucyd. 1, p. 136. Nos quoque h. l. dicere possumus „der Mutter Gesinnung ist nicht geneigt, so etwas zu thun, noch hat sie es unbemerkt thun können." V. Schneider ad h. l. et Matth. gr. gr. p. 968, ed. II., ubi nunc recte defendit ἐλάνθανεν. Antea enim in ed. Weigel. receperat ἐλάνθαν' ἄν. — Brunckium, qui ad Arist. Lys. 149 observaverat „quando in protasi verbum in imperfecto ponatur, vel aoristi indicativo cum particula εἰ in apodosi, alterum etiam verbum in indicativo poni cum particula ἂν; contra si in protasi optativus cum εἰ sit, debere etiam ἂν optativo in apodosi iungi," regulam suam praepostere expressisse, ostendit Hermannus ad Viger. p. 812 sq., qui tamen in contrariam partem nimis evagatur. Contendit enim in praefat. ad Soph. El. p. XV. ed. I., „ἂν particulae omissionem quum omnium graecorum, tum atticorum usu tritissimam esse," non iniuria repugnante Matthiaeo

ad Eur. Alcest. 923. Nec quod idem Hermannus dicit ad Eur. Hecub. l. l. „ἐλάνθαν' ἂν valde a Sophoclis elegantia abhorrere, aures arguunt," me quidem impediret, quo minus ἂν insererem, quum praesertim tales versus permultos congesserit Schaeferus in Melett. Critt. p. 55, et 130 sq. Sed quum codicum auctoritas ubique fere obstet, et unicum illud exemplum, Eur. Ion. l. l. ab Elmsleianae regulae defensoribus facillime, ut supra vidimus, removeri possit, hanc ipsam nunc quidem amplecti malo, quam ἂν temere ubique inserendo loca reluctantia Brunckii praeceptis maxime dubiis accommodare. Neque abesse ἂν satis recte dicitur in talibus exemplis, neque in loquutionibus illis notissimis χρῆν, ἔδει, εἰκὸς ἦν, προαιρετέον ἦν, „debebat, oportebat, praeferendum erat," similibus, licet in germanica, persaepe etiam in latina lingua enunciationum connexus, adhibito coniunctivo modo, hypothetice exprimendus sit, atque nos Germani vernaculo loquendi usui assuefacti, in graeca lingua eandem enunciationum iuncturam necessariam putare soleamus. V. Popp. de usu part. ἂν p. 11 in Miscell. crit. Seebod. et Observatt. in Thucyd. p. 14, 142. Schaefer. Apparat. in Demosth. 2, p. 324. Bremii Excurs. IV. ad Lys. et Aeschin. Oratt. Selectt. 438. Thiersch. gr. gr. §. 333, 1, c. Matth. gr. gr. p. 715. Dissen. Disquiss. Philoll. Spec. 1, p. 9.

IV) Eur. Hecub. 1095. εἰ δὲ μὴ Φρυγῶν πύργους πεσόντας ἦσμεν Ἑλλήνων δορὶ, φόβον παρέσχεν οὐ μέσως ὅδε κτύπος. Ubi Elmsleius ἂν particulam inserendam esse ratus coniicit

ὅδ' ἂν κτύπος. Quod ad vulgatam tuendam Hermannus ad h. l. et ad Arist. Nub. 1344 dicit: „ut Graeci indicativum sine particula ἂν adhibent, ita ab Latinis etiam et Germanis indicativum pro coniunctivo poni constat," id quidem, licet per se verissimum, ad hunc locum minus pertinere videtur, ut quem natura sua multum a ceteris, huc usque prolatis, differre appareat. Quod discrimen minime latuisse Matthiaeum exinde colligo, quod, quum supra memorato loco ἂν recte omiserit, hic non minus recte παρέσχ' ἂν edidit. Elmsleii emendationibus, quibus vocalis ε elisionem removere studet, se non assentiri quidem dicit Herm. ad Soph. El. l. l., licet in plerisque illorum locorum — non in omnibus — revera delendum esse ἂν Elmsleio concedat, unde non iniuria mihi videor colligere posse, Hermannum ipsum uno et altero exemplo ἂν particulam aegre desideravisse, et fortasse hoc etiam loco, in quem nunc nobis inquirendum est. Nam et latine et germanice h. l. modus subiunctivus adhibendus est: „haec turba ingentem nobis iniecisset pavorem, nisi certiores facti essemus de urbe diruta;" nos: „wenn wir nicht gewußt hätten, daß — —, so hätte uns dieser Lärm kein geringes Schrecken verursacht," quoniam modus indicativus linguae utriusque naturae prorsus repugnaret. Simillimus locus est apud Eur. Hipp. 653 Monk. εἰ μὴ γὰρ ὅρκοις θεῶν ἄφρακτος εὑρέθην, οὐκ ἄν ποτ' ἔσχον, μὴ οὐ τάδ' ἐξειπεῖν πατρί. Unde mihi quidem persuasi, ἂν deesse non posse, ubi aliquid factum vel non factum fuisse dicatur, si aliud quid factum non fuisset, ita ut protasis habere debeat εἰ μὴ cum Imperfecto vel

Indicativo Aoristi, apodosis vero ἂν cum Imperfecto vel Indicativo Aoristi. Sed licet praestantissimi critici ἂν addendum esse censeant h. l., insertum illud etiam in tribus codicibus, sed metro corrupto, Hermannus tamen hic quoque Porsonem sequi dedignatur. Neque valde timendum est, ne quis Elmsleianae regulae gratia παρέσχ' ἂν reiiciat, quippe quam ne ipse quidem Elmsleius certissimam praedicaverit. —

V) Eur. Troad. 412. Seidler. καὶ τοῦτ' Ἀχαιῶν ἴξις ἐξεργάζεται· εἰ δ' ἦσαν οἴκοι, χρηστὸς ὢν ἐλάνθανεν. Πάρις δ' ἔγημε τὴν Διός· γήμας δὲ μή, σιγώμενον τὸ κῆδος εἶχεν ἐν δόμοις. Ubi longe aliter res habet, librorumque omnium lectionem bis recte servavit Seidlerus. Matthiaeus et Bothius e Cod. Hafn. receperunt ἔλαθεν ἂν γέγως (quod glossam sapere videtur doctioris librarii, ἂν quoquo modo addendum esse rati), et εἶχ' ἂν ἐν δόμοις, Schaeferum sequuti, qui tamen in novissima tragicorum editione emendationes, in Melett. Critt. p. 56 propositas, recipere non ausus est. Cf. eundem ad Demosth. Mid. p. 570. Totius loci syntaxin vernacula commode imitari possumus: „Wenn aber die Achäer zu Hause blieben, so blieb auch Hektors Muth verborgen; Paris ehlichte Zeus Tochter; that er das nicht, so hatte er ruhmlos die Verschwägerung daheim.“

VI) Eur. Bacch. 1305 Herm. τὸν γέροντα δὲ οὐδεὶς ὑβρίζειν ἤθελ', εἰσορῶν τὸ σὸν κάρα· δίκην γὰρ ἀξίαν ἐλάμβανεν. E praecedente οὐδεὶς ad ἐλάμβανεν supplendum est ὅστις ὑβρίζειν ἐθέλοι, quem loquendi usum praeter alios

Heindorfius illustravit ad Plat. Gorg. §. 29, et ad Horat. Sat. I, I, 3. Quae facillima ratio si in mentem venisset Elmsleio, hunc locum plane alienum profecto omisset. Neque enim hic de ἄν particula sermo esse potest. — Ultimos quatuor locos, Aesch. Agam. 1383, Choeph. 338, Eur. Alc. 893, Androm. 1284, ubi nonnulli editores ἄν inserere conati sunt, quod non opus esse recte iudicat Elmsleius (exceperim Eur. Alc. 893, ubi v. Herm. in edit. Monkii novissima) multis pertractare longum est.

I dativi singularis apud Tragicos quidem **rarissime** eliditur. Quin etiam fuerunt, qui hanc elisionem plane improbarent, ut Elmsleius ad Eur. Heracl. 693, qui multis locis varie mutatis nunquam eam permissam fuisse ostendere conatur. Cf. Lobeck. ad Soph. Ai. p. 340 sq. Quorum locorum eos tantummodo accuratius examinabimus, qui ex nostra quidem sententia non ita facile removeri possunt; reliquos vero paucis commemoravisse satius erit. I) Eur. Alcest. 1120; *τόλμα προτείνειν χεῖρα καὶ θιγεῖν ξένης.* *καὶ μὴν προτείνω, Γόργον' ὡς καρατόμῳ.* — Quae nisi omnium librorum esset lectio, non repudiarem Elmsleii emendationem *Γοργόν' ὡς καράτομον*, subaudito *οὖσαν*, ut sit accusativus absolutus. Haec fortasse etiam Lobeckii sententia est ad Ai. p. 344; putat enim librariorum lentitudinem hunc locum a recta ratione detorsisse. Altera enim explicandi ratio, quam in Addendis proponit Elmsleius, aliquanto durior est: „Respondere debuit Admetus — *ὡς Γοργόνος καρατόμου* (*θιξόμενος*). Qua significatione non male se habet *Γοργόν' ὡς καράτομον*. Non raro enim

fit transitus a genitivo aut dativo ad accusativum. Soph. Antig. 857, Ai. 870, Aesch. Agam. 1104 Choeph. 404." Cf. Schaefer. ad Lamb. B. p. 599, Valcken. ad Eur. Hipp. 199, Brunck. ad Soph. El. 480, ad Aesch. Prom. 217, Wellauer. ad Aesch. Choeph. l. l. Musgr. ad Eur. Troad. 119, ad El. 1251, Herm. ad Viger. p. 876, 879; Matth. gr. gr. §. 432, 4. et 555, 3. Omnia tamen illa exempla ideo minus apta videntur, quoniam accusativi in iis ἐπεξήγησιν quandam genitivorum continent, et paullo liberius, ut in lyricis tragoediarum partibus, absolute adduntur. Sed ei loco, quem iam consideramus, casuum illa mutatio — est enim dialogus — nescio quid alieni ac nimis insoliti inferret, quum praesertim audienti cuivis aut legenti statim perspicuum sit, dativos Γοργόν' ὡς καρατόμῳ pendere a verbo προτείνειν, ita ut sententia sic fere procedat: „porrigo quidem ei manum, sed tamquam Medusae capiti abscisso," i. e. averso vultu. Itaque etiam Monkius Elmsleii regulae non immerito diffisus, ι dativi h. l. elidendum censuit; sed restituit in secunda editione Wüstemannus, qui in talibus synizesin ι vocalis non solum apud Homerum, verum etiam apud Atticos statuit, Hermannum sequutus, quem v. in Elem. d. m. p. 55. Nam apud Homerum, ut Il. E. 505 ἀστέρι ὀπωρινῷ ἐναλίγκιος, κ. 277, similibus, ι dativi non elisum fuisse memoriae prodiderunt grammatici; v. Eustath. ad Il. p. 514, 17.; Gaisford. ad Hephaest. p. 221; Thiersch. gr. gr. §. 164, 6. Quae tamen ratio ideo minus placet, quod talis synizeseos apud Atticos poetas nulla omnino exempla reperiuntur. V. Matth. ad.

h. l. (v. 1128.) Accedit, quod elisum fuisse aliquando ι dativi existimare satius esse fatetur ipse Hermannus in Monkii editione. Ceterum hoc elisionis exemplum non facile convelli posse censuerunt etiam Porso in praef. ad Eur. Hecub. p. 22. Reisig. in Commentt. ad Oed. Col. 1431 et Bothius in notula ad h. l. (v. 1070). — II) Aesch. Suppl. 6, — φεύγομεν Οὔτιν' ἐφ' αἵματι δημηλασίᾳ Ψήφῳ πόλεως γνωσθεῖσαι. Speciosa profecto videri debet Tyrwhittii emendatio δημηλασίαν, quam duo Spanhemii codices confirmant, probantque Wellauerus et Lobeckius ad Ai. p. 340, qui accusativum idoneis exemplis defendit. Quod vero dicit, hunc locum a quoquam pro puro et sincero haberi potuisse, vix credibile esse, eius sententiae rationem nondum satis perspeximus. Hoc tantum videmus, multos illos dativos non nimis eleganter cumulatos esse. Quum vero neque hoc, neque dativi elisio sufficere videatur ad accusativum praeferendum, in vulgata acquiescere praestabit. — III) Soph. Oed. Col. 1435 — σφῷν δ' εὐοδοίη Ζεύς, τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι θανόντ', ἐπεὶ οὔ μοι ζῶντί γ' αὖθις ἕξετον. — Elmsl. et Herm. θανόντ' pro accusativo sumi posse censent; id quod nunquam mihi probabunt, quoniam θανόντ' artissime cohaeret cum pronomine suo antecedente, neque adhuc usque satis certum exemplum me legere memini, ubi transitus ille sive casuum enallage in uno eodemque enunciationis membro inveniatur. Accedit, quod participia θανόντι et ζῶντι cum vi quadam atque emphasi sibi vicissim opponuntur. Ad ἕξετον vero supplendum est τάδε τελεῖν, ut sensus loci exeat fere hic:

„vos sospitet Iuppiter, si mortuo mihi ista amoris documenta persolveritis; vivo enim non poteritis.“ Ita neque mutatione, quam unum codicem sequutus Elmsleius proponit ἐπεὶ οὔ με ζῶντά γ' αὖθις ἕξετον, quod cum Bothio parum commode explicat „complectemini,“ neque codicis Veneti lectione opus est, quam primus Passovius memoravit in Melett. p. 47, (cf. Reisig. ad h. l.) τάδ' εἰ τελεῖτέ με θανόντ'. Defendit enim syntaxin nimis insolitam ex analogia verborum δρᾶν, ἐργάζεσθαι, ἔρδειν, ποιεῖν, quae et ipsa cum duplice accusativo iunguntur. Tum vero poetae scribendum quoque fuisset μὲ ζῶντα, ut Reisigius recte monuit. Qui quod deinceps addit,” fieri potuisse, ut tam Sophocles quam Euripides l. l. hanc dativi elisionem, Atticorum auribus inusitatam, ad percellendos auditorum animos expetiverint,“ id quidem, quum Wellauero ad Aesch. Pers. 836 et Wüstemanno (in Indice ad Eur. Alc. sub. litt. ι) obscurum videatur, nos quoque nondum satis intellexisse mirum non est. — Transpositione usus Lobeckius ad Ai. p. 341 hunc locum sic scripsit: τάδ' εἰ θανόντι μοι τέλεῖτ', ἐπεὶ —, quae prae omnibus, ut facillima, mihi arrideret, dummodo quis emendandi necessitatem ostendisset. Neque enim permagni momenti habenda videntur, quae opponit Schaeferus: „verendum est, ne dirimantur, quae poeta artissime iuncta voluit, θανόντι et ἐπεί.“ Sed cum Schaefero, Hellero, Doederlino et Dindorfio vulgata servari debet. Sine causa cum Elmsleio Hermannus et Wunderus post pronomen μοί distinxerunt commate, quod iam delevit Dindorfius. — IV) Soph. Trach. 672 — ᾧ γὰρ τὸν ἐν-

δυτῆρα πέπλον ἀρτίως ἔχριον ἀργῆτ' οἰὸς εὐείρου πόκῳ, τοῦτ' ἠφάνισται. „Lego ἀργῆτ' οἰὸς εὐέρου πόκον.“ Elmsl. Neque hoc anacoluthon, quo accusativus absolutus pro nominativo ponitur, nimis insolitum est. Εὐέρου iam Brunckius praetulit cum Valckenario ad . Eur. Phoen. 361, et sequuti sunt Lobeckius ad Phryn. p. 146, Schaeferus et Erfurdtius, qui πόκῳ in πόκον mutavit, supplens λέγω, quae ellipsis non sine causa offendit Schaeferum. Probabilior sane, dummodo ne repugnarent libri, Lobeckii ratio esset in Soph. Ai. p. 342, qua ἀργῆτα πόκον ut appositionem trahit ad πέπλον, licet ipse fateatur: „ad iudicandam veneni vim non tam qualis vestis, norant enim, quam quale penicillum Deianirae fuisset, scire intererat,“ et constructio (cum dativo) nihil habeat offensionis. (Ita fere Martinus etiam in Syllog. var. lectt. Lobeckii sententiam intellexit. Si enim Lobeckius sic iungi voluisset verba: ἀργῆτ' οἰὸς εὐέρου πόκον, ᾧ τὸν ἐνδυτῆρα πέπλον ἀρτίως ἔχριον, τοῦτο ἠφάνισται, in constructione quidem nemo unquam offenderet. At vero tum obscura essent sequentia „etsi — scire intererat;“ neque ullo modo omittere potuisset Lobeckius comma post verbum ἔχριον, additum illud ab omnibus editoribus.) Sed quum ἀργῆτ' οἰὸς ἐυέρου πόκῳ, qui dativus a verbo ἔχριον pendeat, multo aptius intelligatur de lanae candidae fasciculo, quo penicillo usa Deianira vestem inunxerat, nunc quidem cum Matthiaeo in ed. Weigel. comma illud, post ἔχριον olim positum, delere, et vocabula sic potius iungere maluerim: ᾧ γὰρ ἀργῆτι οἰὸς εὐέρου πόκῳ ἔχριον ἀρτίως τὸν

πέπλον, τοῦτ' ἠφάνισται. Similiter Romani: „qua enim lana candida tunicam nuper inunxeram, ea nunc evanuit." Ceterum inter recentiores editores Wunderus, Dindorfius et Schneiderus recte receperunt vulgatam. Cf. Herm. in Eur. Alcest. et Monk. in ed. nov. v. 1123. — V) Eur. Iphig. Aul. 797. Matth. οὕτω δεινὸς ἐμπέπτωκ' ἔρως τῆσδε στρατείας Ἑλλάδι γ', οὐκ ἄνευ θεῶν. Quam vulgatam nunc quidem Porsonis, quem v. ad Eur. Orest. 584, praetulerim emendationi in praefat. ad Eur. Hecub. p. 22. propositae, Ἑλλάδ', οὐκ ἄνευ θεῶν. Neque enim prorsus reiiciendus est anapaestus in quarta Senarii sede, ubi nomen proprium inest. Itaque hoc exemplum Elmsleio aeque libenter condonabo, atque Aesch. Pers. 877. τί πάθω τλήμων; λέλυται γὰρ ἐμῶν γυίων ῥώμη, τήνδ' ἡλικίαν ἐςιδόντ' ἀστῶν. Soph. Ai. 108 — πρὶν ἂν δεθεὶς πρὸς κίον' ἑρκείου στέγης· ibid. 1006 ποῖ γὰρ μολεῖν μοι δυνατὸν, εἰς ποίους βροτοὺς, τοῖς σοῖς ἀρήξαντ' ἐν πόνοισι μηδαμοῦ; Eur. Hecub. 912. κατὰ δ' αἰθάλου κηλῖδ' οἰκτροτάτᾳ κέχρωσαι· ubi nunc κηλῖδ' οἰκτροτάταν, quod e Codd. Pariss. aliisque nonnullis primus ediderat Musgravius, omnes recentiores non iniuria receperunt; denique Eur. Ion. 433, ubi aut cum Musgr. Elmsl. et Matth. legendum: ἀτὰρ θυγατρὸς τῆς Ἐρεχθέως τί μοι μέλει, προςήκοντ' οὐδέν, i. e. προςήκοντα, nulla necessitudine coniunctum, aut cum Reiskio, quem nuperrime sequutus est Hermannus, — τί μοι μέλει; προςήκει γ' οὐδέν. Plura exempla non reperit Elmsleius. At vero omittere non debuisset certissi-

mae fidei locum, Aesch. Pers. 855 ὑπαντιάζειν παῖδ' ἐμῷ πειράσομαι, ubi libri MSS. ad unum omnes dativum exhibent elisum; cf. v. 802. Legendum proposuit Lobeckius l. l. παῖδ' ἐμὸν, quam syntaxin exemplis defendit. Blomfieldius accusativum recipere, atque altero loco ὑπαντίαζε παῖδα edere non dubitavit. Vulgatam optime retinuerunt Brunckius, Monkius ad Eur. Alcest. l. l. et nuper Wellauerus. Synizesis vero, qua Hermannus h. l. etiam παιδὶ ἐμῷ scribendum censet, vel ideo non probanda, quod duae breves vocales litterae in unam brevem coalescere non solent; v. Matth. gr. gr. p. 128, not. 1. Hunc versum igitur ad nostram de elidendo ε sententiam tuendam maximi momenti esse apparet. Loca difficillima et varie explicata Aesch. Suppl. 1000 et Agam. 1243, in quibus antea elidebatur dativus, iam apud Wellauerum longe aliter leguntur; v. Lobeck. p. 341. Aeque incerta sunt fragmenta, alterum ex Eur. Aeol., ἃ μὴ γάρ ἐστι τῷ πένηθ', ὁ πλούσιος δίδωσιν, ubi articulo omisso Franckius, V. Cl., legendum censuit τῷ πένητι, πλούσιος δίδωσιν. Sed fateor, aegre me desiderare articulum, quoniam praecedit τῷ πένητι; alterum Philemonis, quod mutilatum esse videtur, πρόςεστιν ἄρα καὶ τῷ πένητ' ἀπιστία· quod Franckius ita restituit: πρόςεστ' ἄρα Καὶ τῷ πένητι — ἀπιστία. V. Meinek. ad Menandr. p. 556. Cf. Lobeck. p. 344. Ceterum sufficere arbitror locos memoratos, quorum nonnulli omnibus emendationibus repugnant, si non ad tollendam, certe ad deminuendam Elmsleianae regulae fidem. Recte etiam Schneiderus in libello, quem de tragicorum dialecto

scripsit, p. 37, elisionem dativi paucis defendit. Cf. eundem ad Soph. Trach. 676, et adde Passov. Melett. in Aesch. Pers. p. 47. Blomf. ad Prom. 362; Meinek. ad Menandr. p. 556; Dobree ad Ar. Plut. 689; Musgr. ad Soph. Ai. 947; Wakefield. Diatrib. p. 31; Spitzner. de versu her. p. 171; Boeckh. ad Pindar. Ol. 8, 48; Monk. ad Eur. Hippol. 220; Thiersch. gr. gr. §. 243, 25 ed. tert. Buttm. gr. gr. 1, p. 127. Apud Homerum passim, apud tragicos nusquam reperitur dativi pluralis numeri elisio. Nam perpauci qui obstare videbantur loci, eos optime emendando removit Lobeckius p. 344, ita ut in recentioribus editionibus nulla talis elisio legentem offendat.

De elisione syllabae *αι*.

Syllaba *αι* apud Homerum, (liceat deflectere paullulum de via), in verborum terminationibus *μαι*, *ται*, *νται*, *σθαι*, sine offensione eliditur; v. Thiersch. gr. gr. §. 164, 2, not. 1. Sed elisi Infinitivi Aoristi I Act. unum tantummodo exstat exemplum Il. *φ*, 322. *οὐδέ τί μιν χρεὼ ἔσται τυμβοχοῆσ', ὅτε μιν θάπτωσιν Ἀχαιοί*, ubi iam Crates Mallotes optime *τυμβοχόης* legendum censuit. V. Buttmann. gr. gr. §. 30. not. 5**; Matth. gr. gr. §. 45. Neque usquam invenitur *αι* nominativi pluralis apud tragicos elisum, v. Lobeck. ad Soph. Ai. 191, quum praesertim unicum Homeri exemplum a multis in dubitationem vocatum sit. Legitur Il. 272 — *ὣς ὀξεῖ' ὀδύναι δῦνον μένος Ἀτρείδαο*, quod repetitur e v. 268 *ὀξεῖαι δ' ὀδύναι δῦνον. μ. Ἀ.* — Audacius correxit Bentleius *ὣς ὀξεῖ' ὀδύνη*, adsen-

tiente Matthiaeo l. l. Buttmannus non dubitare se ait, quin ὀξέαι, forma bisyllaba restituenda sit. Cf. Add. ad gr. gr. p. 408. Sed propterea tantum, quod unum adhuc eiusmodi exemplum innotuit, elisionem syllabae brevis αι nondum prorsus repudiaverim. Vulgatam servandam duxit Wolfius. Unde tamen omnes diphthongos, quae passim corripiantur, ut ἔπλευ ἄριστος, elisionem pati, minus recte colligeretur. — Thierschius „οι diphthongus, ait, apostropho expulsa est Il. δ, 341," additque: „potest tamen locum habere etiam synizesis, σφῶϊν μέντοι ἐπέοικε, μετὰ πρώτοισιν ἐόντας ἑστάμεν." Prius enim legebatur μέντ' ἐπέοικε. In quo tamen falsus esse videtur vir clarissimus. Per synizesin scilicet duae syllabae, pronunciando coagmentatae, unam longam efficiunt. At vero h. l. brevis syllaba requiritur. Est cum Wolfio scribendum σφῶϊν μέν τ' ἐπέοικε. — Neque enim minore cum vi μέν τε ponitur, quam μέντοι. Cf. Il. o. 203; Buttm. gr. gr. §. 29. not. 22.** Passov. Lex. s. v. μέν. Sed recte μοί pronominis synizesin statuit Thierschius Il. i. 673 εἴπ' ἄγε μοι, ὦ πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν· ut duorum ω, Il. σ. 458 υἱεῖ ἐμῷ ὠκυμόρῳ δόμεν ἀσπίδα καὶ τρυφάλειαν, et similibus locis. V. Wolfii Anall. I, II, p. 448 et Etym. M. 337, 4. — Buttm. Add. ad gr. gr. tom. II, p. 392. Num αι primae tertiaeque personae et Infinitivi passivi et medii apud tragicos elidi potuerit, multum dubitarunt adhuc usque viri docti. Quae quidem quaestio difficilior singulis locis examinatis diligenter iam retractanda est, antequam certioris aliquid in medium profera-

mus. I) Aesch. Sept. 455 Πέμποιμ᾽ ἂν ἤδη τόνδε, σὺν τύχῃ δέ τῳ· Καὶ δὴ πέπεμπτ᾽ οὐ κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων. Quam lectionem, a pluribus libris exhibitam, recte receperunt Brunckius et recentiores. Erfurdtii emendationem, ad Soph. Ai. v. 190 propositam, ad sensum ineptam atque inutilem iudicat Wellauerus, et recte quidem. Coniecit enim Erf. καὶ δὴ πέπεμπται, κόμπον —, quod probavit Blomfield. in Add. ed. II. Iure Wellauerus sequutus est Lobeckium ad Ai. p. 248, qui et ipse in vulgata acquiescit, neque tertiae personae elisione offenditur. Praeterea h. l. vis quaedam inest in tempore perfecto, quod opponitur quodammodo praesenti antecedenti πέμποιμ᾽ ἄν, id quod Schützius vertendo apte expressit: „Quidni mittam, et bona quidem cum fortuna mittam? Immo vero iam missus est.“ — II) Soph. Trach. 214. Ἀείρομ᾽, οὐδ᾽ ἀπώσομαι τὸν αὐλὸν, ὦ τύραννε τᾶς ἐμᾶς φρενός. Vulgatam, quam Scholia agnoscunt, recentiores omnes, quos contuli, servaverunt, probavitque Lobeckius l. l. Solus Erfurdtius, ἀείρομαι, quod ex h. l. citat Hesychius, praeferendum censet, elisione videlicet, in lyrico carmine multo facilius ignoscenda, praeter necessitatem offensus. Cf. Schneider. Quaestt. de trag. gr. dial. p. 33. — III) Philoct. 1071 — λειφθήσομ᾽ ἤδη, κ᾽ οὐκ ἐποικτερεῖτέ με; Erfurdtius, Wakefieldii vanam coniecturam amplexus, scribi iubet λειφθήσομαι δὴ, recte repugnante Hermanno, qui minus suaviter ad aures accedere dicit λειφθήσομαι cum ictu in ultima ante caesuram. Vulgatam tuentur libri MSS. omnesque editores. Frustra Matthiaeus in gr. gr.

§. 45. hanc elisionem suspectam reddere studet. — IV) Electr. 807. ἀλλ᾽ οὔτι μὴν ἔγωγε τοῦ λοιποῦ χρόνου ξύνοικος ἔσσομ᾽. ἀλλὰ —. Pleṙique codices omnesque fere vett. edd. ξύνοικος ἔσσομ᾽. Cod. Venet. et Monac. ξύνοικος ἔσομαι. ἀλλὰ —. Quem hiatum excusat Herm. in Elem. d. m. p. 49., quippe qui non modo in tribracho, sed etiam in caesura, et quidem in fine sententiae sit. Retinuit tamen in prima editione cum Brunckio et Schaefero ἔσσομ᾽, et in secunda coniecturam suam ξύνοικος εἴσειμ᾽· ἀλλὰ — recipere non dubitavit. Erfurdtii nimis audax emendatio est ξύνοικος ἔσομαι τῇδέ γ᾽· ἀλλὰ πρὸς πύλῃ —. Wunderus ξύνοικος ἔσομαι γ᾽ scripsisse arbitratur Sophoclem, hiatus vitandi caussa γ᾽ adiecto, id quod ideo potissimum praetulerim, quod futuri forma ἔσσομαι non temere nisi apud epicos poetas inveniatur. Sed facillime sanatur locus transpositione ἔσομαι ξύνοικος, quam proponit Dawesius. — Nihili enim sunt exempla, quibus Schneiderus in editione sua ἔσσομαι studet defendere. Affert enim Arist. Pac. 188, ubi olim legebatur οὔτοι, μὰ τὴν γῆν, ἔσσεϑ᾽ ὡς οὐκ ἀποϑανεῖ. Sed iam Dawesius recte reposuerat ἔσϑ᾽ ὅπως, quem sequuti sunt Dindorfius aliique recentiores. Eandem formam epicam intrudere vult Schneiderus in Soph. Oed. Col. 1118, ubi veterum librorum lectio corrupta καί σοί τε τοὔργον τοὐμὸν ἔσται βραχύ senarium non explet. Hermanni coniecturam elegantissimam καὶ σοί τε τοὔργον τοῦτ᾽ ἐμοί τ᾽ ἔσται βραχύ· merito receperunt Elmsl. Wunder. et Dindorf. — V) Oed. Tyr. 678 ἅλις ἔμοιγ᾽, ἅλις, γᾶς προπονουμένας, φαίνε-

ται, ἔνϑ' ἔληξεν, αὐτοῦ μένειν. Quam lectionem, quatuor codicibus exceptis, qui φαίνετ' exhibent, in ceteris omnibus inventam, nunc quidem Hermannus, quem v. in Elem. d. m. p. 242., Elmsl. Wunder. et Dindorf. ad metrum servandum recte restituerunt. — VI) Eur. Bacch. 1380 Ἄγετ' ὦ πομποί με, κασιγνήτας ἵνα συμφυγάδας λήψομ' οἰκτράς, ut habet Aldina. Sed Elmsleius, quem v. ad h. l. et 344., et Hermannus e Codicis Palatini lectione corrupta λημψώμεσϑ' nunc recte ediderunt λῃψόμεϑ' οἰκτράς. Cum Brunckio et Erfurdtio ad Ai. l. l. Matthiaeus scripsit λήψομαι οἰκτράς, quod propter hiatum certe excusari potest. V. Herm. Elem. p. 372. — VII) Eur. Herc. fur. 418 τὰ κλεινὰ δ' Ἑλλὰς ἔλαβε βαρβάρου κόρας λάφυρα, καὶ σώζετ' ἐν Μυκήναις. — Σώζετ' esse σώζετο putat Erfurdtius l. l., praeferendum tamen esse κἀσώζετ'. Sed aptius videtur esse praesens tempus. Neque enim elisio, in lyricis praesertim partibus, offensionis quidquam habere debet. Matthiaeus in editione sua ad eandem fere inclinat sententiam, sed in gramm. gr. Erfurdtium sequutus est. — VIII) Eur. Ion. 1087. Herm. ὅ τε καιρὸς ἄπεισι τόλμας, ἅ τε νῦν φέρετ' ἐλπὶς, —. Hoc etiam loco Erfurdtius nihil impedire putat, quo minus φέρετ' pro imperfecto habeatur. Ceterum quod Matthiaeus νῦν et ἐφέρετο parum congruere contendit, id quidem non ita magni momenti esse persuasit mihi Bothii ad h. l. adiecta notula, qui tamen vulgatam ἅτε amplexus perperam vertit „quaeque modo spes afferebatur," φέρετο, ἐφέρετο. Rectius: quo nunc spes ducit, φέρεται, Creusam

scil. V. Hermann. — IX) Electr. 458. κἂν ἔτ' ἔτι φόνιον ὑπὸ δέραν ὄψομ' αἷμα χυθὲν σιδάρῳ. Hoc loco metri gratia omnino opus esse videtur Erfurdtii emendatione ὄψομαι, a Bothio, Matthiaeo et Seidlero recepta. Connectitur ἂν cum Futuri Indicativo; v. Matth. gr. gr. §. 598, d.; ad Eur. Androm. 465 et Heracl. 764.; Heind. ad Plat. Phaedon. §. 13, et quos laudavit Schaeferus ad Gregor., p. 66. — X) Alcest. 89 οὐ μὰν οὐδέ τις ἀμφιπόλων στατίζεται ἀμφὶ πύλας. Male olim legebatur στατίζετ', repugnante metro; v. Lob. ad Ai. p. 251. Quae antistrophica esse primus docuit Herm. in Observatt. critt. p. 64. Observandus est hiatus, qui fit correpta diphthongo in secundi anapaesti syllaba; v. Herm. Elem. d. m. p. 373. — XI) Iphig. Aul. 407. συσσωφρονεῖν σοι βούλομ', ἀλλ' οὐ συννοσεῖν. Quem versum in suspicionem incidere potuisse, vix quisquam crederet, nisi apud Plutarchum (de adul. et amic. discr. p. 64, c.) diversa lectio exstaret συσσωφρονεῖν γὰρ, οὐχὶ συννοσεῖν ἔφυν, quam ad vitandam elisionem receperunt Matthiaeus et Bothius, probaverunt Porso et Erfurdtius l. l. Nobis quidem in talibus levissima videtur Plutarchi fides, loca memoriter plerumque recitare et in usum suum varie mutare soliti. XII. Iphig. Taur. 166 — ξανθᾶν τε πόνημα μελισσᾶν, ἃ νεκροῖς θελκτήρια κεῖται · ἀλλ'. — Sic vulgatam κεῖτ' recte cum Erfurdtio emendat Seidlerus, ut duo se excipiant paroemiaci. V. Herm. Elemm. p. 384, et in Censura, quae inserta est Ephemm. litt. Lips. 1813, Octbr. n. 267 — 270. — XIII. Iphig. Aul. 1141 πάντ'

οἶδα, καὶ πέπυσμ', ἃ σύ γε μέλλεις με δρᾶν. Quod licet unicum fortasse sit exemplum primae perfecti passivi personae, elisionem passae, v. Lob. p. 248, tamen nescio an non sint necessariae Erfurdtii ad Ai. l. l. et Elmsleii (in Quart. rev. 14, p. 459) coniecturae πεπύσμεθ', omissa particula γε. Vulgatam praetulerunt cum Marklandio Matthiaeus et Bothius. — XIV. Heracl. 689 ἀλλ' οὖν μαχοῦμ' ἀριθμὸν οὐκ ἐλάσσοσι. Quam codicum atque editionum lectionem in μαχοῦμαι γ' mutaverunt Erfurdtius et Elmsleius, tam propter diphthongum elisam, quam omissam particulam γε, quae plerumque post ἀλλ' οὖν addi soleat. Quas caussas Matthiaeo et Bothio ad locum sine librorum auctoritate emendandum sufficere videri mirandum est. — XV. Ibid. 1004. Τοιαῦτα δρῶντι τἀμὰ γίγνετ' ἀσφαλῆ. Emendavit Musgravius τἄμ' ἐγίγνετ' ἀσφαλῆ. Id quod ab Erfurdtio comprobatum receperunt Matth. Elmsl. et Both. non inepte quidem, sed praeter necessitatem. — Reliqua exempla, quae leguntur apud Erfurdtium l. l., ex Euripidis fragmentis deprompta, ut nimis incerta et depravata, hic inserere nolumus. — Si quis cum Blomfieldio ad Eur. Iphig. Aul. 407 (post Markl. Iphig. ed. Lips. p. 239) diphthongum αι cum α sequente crasin efficere credit, ita ut βούλομαι, ἀλλ' — γίγνεται ἀσφαλῆ pronuncientur, quasi scripta sint, βουλομαἰλλ', γιγνεταἰσφαλῆ, nihil equidem impediam, quamquam crasium tam insolitaram usus a veteribus grammaticis non confirmatur, et monstra talia legentis oculos offendunt. Neque enim, ubicunque secundi vocabuli syllaba prima per se longa est, crasi opus esse videtur,

sed habet elisio, quo defendatur. Nam rarissime inveniuntur loci, ubi vocabuli secundi syllaba prima post vocabuli prioris elisionem corripiatur, sed plerumque metrum vel postulat vel admittit productam syllabam. Cf. Buttm. Gr. gr. §. 30, not. 5; Brunck. ad Arist. Av. 976; ad Thesmoph. 217, (cf. Supplem. ad tom. III. p. 188 ed. Argentorat. a. 1783.) Ubicunque vero elisio minus probanda est, recte Synizesis statuitur, ita ut pronunciatio, certis regulis destituta, soli aurium iudicio committatur. V. Buttm. Gr. gr. §. 29, not. 8. Matth. Gr. gr. §. 6. Inveniuntur tamen apud Aristophanem certe exempla nonnulla, ubi *αι* ante brevem vocalem elidatur; v. Vesp. 941 *τοῦτον δέ γ' οἶμ' ἐγὼ χεσεῖσθαι τήμερον·* Nub. 780 — *πρὶν τὴν ἐμὴν καλεῖσθ' ἀπαγξαίμην τρέχων·* 988 — *ὥστε μ' ἀπάγχεσθ', ὅταν* —. ib. 1181. Thesm. 916. Neque satis idoneam caussam video, ex qua Wolfius in Anall. I, P. II, p. 455 reprehenderit Bentleium, (ad Fragm. Menand. p. 86, ubi cf. Meinek.) scribentem *καί τοι τί λογίζομ' ὁ κακοδαίμων προσδοκῶν χάριν παρὰ γυναικὸς κομιεῖσθαι;* ubi Grotius emendaverat *καὶ τί λελόγισμαι ὁ κακοδαίμων.* Sed in versu iambico nimis offendit hiatus. Apud Stobaeum legitur *καί τοι λογίζομ',* unde *τί* inserto lectionem suam, optime finxit magnus Bentleius. Cuius generis exempla cum non pauca legantur, nec quisquam adhuc ea omnia corrupta esse censuerit, qua ratione commotus Wolfius l. l. primae personae elisionem repudiaverit, minime apparet, quum praesertim aliquanto rariorem, maximeque dubiam infinitivi aor. 1. activi elisionem ibidem tueri conatus sit.

Nam praeter illud, quod „unicum fortasse" restare putat primae personae elisionis exemplum, Vesp. 319, τηροῦμ' ὑπὸ τῶνδε, (ut Brunckius ediderat metro non satis intellecto; admodum probabili ratione Hermannus e Cod. Ravenn. locum restituit in Elem. d. m. p. 746: τηροῦμαι δ' ὑπὸ τῶνδ', ἐπεὶ —, quem nuperrime sequutus est Dindorfius; cf. Pors. in Add. ad Eur. Hecub. p. 97 ed. Lips.), alia nonnulla, eaque partim certissima, tam e tragicorum fabulis, (v. supra exempla II, III, XIII, XIV), quam ex ipso Aristophane memoravi, quibus addi possunt Lys. 927. Vesp. 1426, ut alia taceam, quorum certe pars aliqua, quod sciam, a nemine adhuc sollicitata est. Accedit luculentum testimonium Gregorii Cor. p. 171 ed. Schaef., qui elisionis Atticae exemplum profert ἔρχομ' ἔχων. Cf. Koen.; Lobeck. ad Ai. p. 251; Reisig. Synt. Crit. p. 31.

Iam transeamus ad exempla elisi infinitivi passivi et medii, quae enumerat Erfurdt. ad Ai. 190: I) Aesch. Prom. 836. προςηγορέυθης ἡ Διὸς κλεινὴ δάμαρ μέλλουσ' ἔσεσθ', εἰ τῶνδε προςσαίνει σέ τι. Quam vulg. retinuerunt Brunckius et Schützius. Alii codices praebent ἔσεσθαι τῶνδε vel ἔσεσθαι· τῶνδε, quod Blomf. praetulit. Aptior sensus redditur, si ex uno Codice cum Wellauero interrogandi signum adiicitur, —, ἔσεσθαι· τῶνδε προςσαίνει σέ τι; Itaque hoc exemplum, etiam a Lobeckio laudatum p. 248, huc non pertinere videtur. — Aeque alienum est II) Choeph. 958, quem locum misere corruptum nunc quidem cum Hermanno restituit Wellauerus: ἄναγε μὰν, δόμοι, πολὺν ἄγαν χρόνον χαμαιπετεῖς ἔκεισθ' ἀεί.

Hoc enim in librorum lectione, ineptissima inesse appáret. — III) Eur. Troad. 943 Seidl. νικᾷ Κύπρις θεάς· καὶ, τοσόνδ' οὑμοὶ γάμοι ὤνησαν Ἑλλάδ', οὐ κρατεῖσθ' ἐκ βαρβάρων, οὔτ' εἰς δόρυ σταθέντες, οὐ τυραννίδι. Ubi κρατεῖσθ' pro κρατεῖσθε accepit Erfurdtius, Matthiaei atque Seidleri consensum nactus; haud dubie recte. Cf. Matth. ad Hecub. 777. Si enim cum Lobeckio h. l. probamus infinitivum κρατεῖσθ' elisum, σταθέντες invitis Codicibus in σταθέντας erit mutandum. Bothius, vocabula καὶ τοσόνδ' — Ἑλλάδ' duobus semicolis, quae vocant, includenda ratus, constructionis elegantiam plane sustulit. — IV) Iphig. Aul. 380 ἀνὴρ γὰρ αἰσχρὸς αἰδεῖσθ' οὐ φιλεῖ, quae est lectio plurimorum Codicum atque Aldinae. Sed e Stob. tit. 31 χρηστὸς χρηστὸν αἰδεῖσθαι φιλεῖ, Markl. et recentiores scripserunt ἀνὴρ γὰρ χρηστὸς αἰδεῖσθαι φιλεῖ, quod sensum praebeat magis idoneum. Qua ex caussa hunc locum omisisse videtur Lobeckius ut alienum. — V. Iphig. Taur. 678: δόξω δὲ τοῖς πολλοῖσι, πολλοὶ γὰρ κακοί, προδοὺς σε, σώζεσθ' αὐτὸς εἰς οἴκους μόνος· ἢ καὶ φονεύσας ἐπὶ νοσοῦσι δώμασιν ῥάψαι μόρον σοι. Quod unicum infinitivi elisi nondum persanatum exemplum vocat Matth. gr. gr. §. 44. Corrigit Erfurdtius προδούς σε, σωθείς, — qua ratione et constructio impeditior fieri, et participia nimis accumulari videntur. Elmsleius legendum proponit προδοὺς σεσῶσθαι σ' αὐτός, quod, licet σέ minus commode a προδοὺς secernatur, praeferre non dubitarem, dummodo de ipsa emendandi necessitate mihi persuasisset. Accedit, quod h. l. σέ mi-

nus bene eliditur, cum non sine vi quadam προδοὺς σε et σώζεσθ' αὐτὸς sibi opponantur. Quod dicunt σώζεσθαι et ῥάψαι, quod ad temporum rationem attineat, parum sibi respondere, magni momenti haberi non potest. Neque enim Elmsleii emendatione σεσῶσθαι scrupulus ille eximitur. Matthiaeus et Bothius vulgatam receperunt; cf. Lobeck. l. l., qui et ipse σώζεσθ' inter elisi infinitivi exempla referendum esse censet. Plura eiusmodi exempla apud tragicos quidem non reperiuntur. Quae quum omnia fere maxime dubia esse appareat, parum abest, quin tragicos eam elisionem sibi non indulsisse Erfurdtio credam. Sed nihil impedit, quo minus in duobus hisce exemplis statuamus synizesin, (non crasin, quam artioribus finibus includendam esse infra videbimus), quae simillima etiam in Aristophanis locos memoratos inferri potest; adde Thesm. 1012. ὅτι δεῖ με γίγνεσθαι Ἀνδρομέδαν· Nub. 1344 καλὸν τὸν πατέρα τύπτεσθαι ἐστὶν ὑπὸ τῶν υἱέων, ubi tamen eo facilius ferri possit elisio, quum secundi vocabuli syllaba prima in utroque exemplo longa, neque synizesi demum producenda sit. Synizesis enim, ut vidimus, tum demum statuenda est, si requiritur syllaba longa, ut in exemplis, quae modo tractavimus, αἰδεῖσθαι οὐ φιλεῖ, et σώζεσθαι αὐτός. Facile tamen Aristophani αι diphthongi elisionem in infinitivis tam ante brevem quam productam syllabam concesserim; (v. locos laudatos Vesp. 941, Nub. 780, 988, 1181,) quum praesertim etiam infinitivi aor. I, Act. elisi exempla, quae apud tragicos nulla leguntur, certa quaedam apud eum reperiantur, id quod

Buttmannus in gr. gr. §. 30. not. 5. frustra negavisse videtur. V. Nub. 43. ἥτις με γῆμ' ἐπῆρε τὴν σὴν μητέρα· ubi Buttm. crasin statuens, (rectius vocasset synizesin), γῆμαι ἐπῆρε scribere mavult, haud scio an non praeter necessitatem. Sin vero longa esset secundi vocabuli syllaba prima, res fere eodem rediret, ut Nub. 523 πρώτους ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, ubi etiam scribere licet ἀναγεῦσαι; 555 — κοὐκ ἐτόλμησ' αὖθις ἐπεμπηδῆσ' αὐτῷ κειμένῳ vel ἐπεμπηδῆσαι αὐτῷ. Sed Lys. 116 necessaria scriptura est — δοῦναι ἂν ἐμαυτῆς παρταμοῦσα θἤμισυ. Etenim elisio δοῦν' ἂν metrum corrumperet. Non minoribus difficultatibus premitur quaestio de μοί et σοί elidendo, quum dubia sint exempla et rarissima.

I) Soph. Ai. 190 μή, μή μ', ἄναξ, ἔθ' ὧδ' ἐφάλοις κλισίαις ὄμμ' ἔχων κακὰν φάτιν ἄρῃ. Hermannus, qui olim ad Eur. Hecub. 793 pronomen μοί, ubi vim quandam habeat, elidi non posse, sed ubi quodammodo abundet, elidi posse censuerat, nunc quidem in nota ad Erfurdtii ed. II. aliam, atque procul dubio rectiorem viam ingressus est. „Falsum vero est, ait, μοί elidi posse ante brevem vocalem. Ego μ' accusativum esse puto, confusis paullo liberius duabus locutionibus. Itaque sensus est: ne tibi malum in me opprobrium contrahe.“ V. eund. apud Seidl. ad Eur. Troad. 123; Seidl. ad. Iphig. Taur. 1061. Porson. ad. Eur. Phoen. 300; Herm. ad Viger. p. 899, ad Soph. El. 122, ad Phil. 187; Erfurdt. ad Soph. Antig. 212; Wunder. Adverss. in Philoct. p. 50; Schneider. ad Soph. Trach. 50 et ad Ai. 310; Wellauer. ad Aesch. Agam. 790 et Sept.

c. Theb. 272. Reisig. ad Soph. Oed. Col. 278, qui locum, quem tractamus, parum probabiliter sic explicat: „ne me assidue ad littus prospiciens turpem tecum fabulam ducas," ita ut κακὰν φάτιν sese appellet Chorus, quemadmodum latini fabulae nomine utantur. Quod Schneiderus iungere vult ὄμμ' ἔχων με, „quum me habeas solatium, quum ὄμμα adhibeatur passim cum significatione salutis, solatii, fidei." id quidem propter vocabula ἐφάλοις κλισίαις, quae ineptissima essent, ferri non potest. Sed similibus explicationibus ieiunisque argutiis abundat ista Schneideriana Sophoclis editio, quae eo tantum a ceteris differt, quod multas veteres lectiones, iam dudum ab omnibus spretas et explosas, iterum recepit, et ab Hermanni potissimum emendationibus vindicare studet, sed ita ut in quavis pagina editorem plus semel refutare facillimum foret. Quum vero Hermannus rationem mihi satis probaverit, Erfurdtius frustra correxisse videtur μὴ 'μοιγ'.

II) Eur. Androm. 427. ἐγώ σ', ἵν' ἁγνὸν βωμὸν ἐκλίποις θεᾶς, προὔτεινα παιδὸς θάνατον, ᾧ σ' ὑπήγαγον ἐς χεῖρας ἐλθεῖν τὰς ἐμὰς ἐπὶ σφαγήν. Vulgatam ἐγώ σ', i. e. ἐγώ σοι egregie in ἔγωγ' mutavit Lobeck. ad Soph. Ai. 191, probantibus Erfurdtio, Bothio et Matthiaeo, qui ἐγώ γ' ἵν' ἁγνὸν e Cod. Flor. A. enotatum esse in apogr. Hamb. testatur. Pronomen enim illud σ' eo facilius deesse potest, quum v. sq. iterum legatur. III) Iphig. Aul. 814 μένω — Μυρμιδόνας ἴσχων, οἵ μ' ἀεὶ προσκείμενοι λέγουσ'· Matthiaeus μ'

coniungere vult cum λέγουσι, allata simili constructione verbi ἔννεπειν τινά τι. Sed alia videtur ratio esse duplicis accusativi, alia unius. Verendum enim, ne verbum λέγω, cum accusativo personae iunctum, in quibusdam tantummodo formulis reperiatur, ut εὖ, κακῶς, κακὰ λέγειν τινα, similibus. Nam λέγειν τινά τι, non est dicere alicui aliquid, quod h. l. requiritur, sed potius dicere aliquid de aliquo sive vocare aliquem aliquo nomine vel epitheto. Itaque hoc quoque loco praeferendam censuerim Lobeckii explicationem, qua iungatur μὲ προςκείμενοι, i. e. mihi instantes, me urgentes. Nam rariorem verbi constructionem ex aliorum analogia satis firmavit vir egregius. Iamque minus necessaria videbitur Marklandii emendatio quamvis facilis, οἶγ' ἀεί. Sed pronomen h. l. nimis aegre desideratur. Duo pronominis elisi exempla, quae Brunckius falso explicata attulerat ad Eur. Med. 56, posthac in editione Sophoclis ipse retractavit; Trach. 732 et 1203, ubi quomodo quis de dativis unquam somniare potuerit, nos quidem latet. — IV) Eur. Androm. 688 ταῦτ' εὐφρονῶν σ' ἐπῆλθον, οὐκ ὀργῆς χάριν. Sed verbum ἐπέρχεσθαι, aeque et ὑπέρχεσθαι, (v. Elmsl. ad Eur. Med. 56) tam apud epicos quam tragicos poetas cum dativo et accusativo coniungi posse docuerunt Markl. ad Iphig. Aul. 349 et Lobeckius ad Ai. 191. — V) Eur. Med. 56 — ὥςθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε, γῇ τε κ' οὐρανῷ λέξαι, μολούσῃ δεῦρο δεσποίνης τύχας. Plurimi libri praebent μολούσῃ, quod agnoscit Scholiasta, probant Elmsl. et Matth.; alii μολοῦσαν, quod Porso praetulit. Sed dativum Athenaeus etiam

legisse videtur VII, p. 288, D, in fragmento quodam Philemonis, qui hunc versum sic παρῳδεῖ:

— — λέξαι μολόντι, τοὔψον ὡς ἐσκεύασα.

Videtur enim μολοῦσαν originem debere librario, qui μέ et μολόνσῃ inter se conciliare nescierit. Simillima syntaxi legitur Iph. Aul. 481 in omnibus codicibus: ἄλλως τέ μ' ἔλεος τῆς ταλαιπώρου κόρης εἰσῆλθε, συγγένειαν ἐννοουμένῳ. Cf. Aesch. Choeph. 405 et quos laudavit Wellauerus; adde Duker. ad Thucyd. VII, 70, Wyttenb. bibl. crit. II, 1, p. 43. Boeckh. ad Pind. Pyth. 9, 93, et quos supra memoravimus p. 37. — VI) Eur. Hecub. 800 οἴμοι τάλαινα, ποῖ μ' ὑπεξάγεις πόδα; ubi duplicem accusativum egregie explicavit Matthiaeus. Hermannus, qui olim ad h. l. μ' pro μοί positum esse putaverat, iam sententiam mutavit ad Soph. Ai. 190. — Ὑπεξάγεις πόδα, discedis, idem fere est, quod φεύγεις, ὑπεκτρέπῃ et accusativus μέ additur πρὸς τὸ σημαινόμενον. Cf. Soph. Ai. 1107, Oed. T. 340. Paullo audacius dictum est Oed. Col. 113 σιγήσομαί τε, καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα Κρύψον κατ' ἄλσος. Ubi v. Reisig. Herm. et Hocheder. Cuius constructionis καθ' ὅλον καὶ μέρος quanta iam apud epicos licentia fuerit, unum exemplum ostendit Il. v. 44 Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον, ubi τρόμος ὑπήλυθε memorabili ratione cum tribus accusativis coniungitur; v. Thiersch. gr. gr. §. 173, 2, b. — Quum plura elisorum μοί et σοί pronominum exempla, quae dubitationem iniicere possint, non temere reperiantur, iam ex iis quae attulimus, hanc elisionem tolerandam non esse colligi potest, ut quae

ne apud epicos quidem usitata fuerit; paucissimis enim, qui reperti sunt, locis melius convenit synizesis; v. Thiersch. gr. gr. §. 164, 2, not. 2, et §. 243, 24 ed. tert.; Schol. ad Arist. Vesp. 34, 159; Wellauer. ad Aesch. Choeph. 120. Matth. ad Eur. Med. 814 et ad Iphig. Aul. 817. Koen. ad Gregor. Cor. p. 148; Buttm. gr. gr. §. 30, not. 6. — Possunt tamen μοί et σοί cum quibusdam vocabulis per crasin coalescere, ut Arist. Vesp. μαντευομένῳ μοὔχρησεν, i. e. μοὶ ἔχρησεν, — σοὔπισθεν, i. e. σοὶ ὄπισθεν in Thesm. 165; σοὐρίζει i. e. σοὶ ὀρίζει apud Aesch. Choeph. 914; σοὔδωκεν i. e. σοὶ ἔδωκεν Arist. Equit. 1177, neque discedendum est ab antiqua scribendi ratione μοὔστὶν ad peiorem μοι 'στὶν, σοι 'στὶν, quum illa optimorum librorum auctoritate nitatur. Adde Eur. Bacch. 811 ἄγ' ὡς τάχιστα· τοῦ χρόνου δέ σ' οὐ φθονῶ, ubi recte quidem Hermannus „σοί puto sequente οὔ posse crasin facere," censuit, sed accuratius scribendum fuit σοὐ, quam σ' οὐ. — De quibus crasibus paullo infra pluribus disserendum erit. Cf. Reisig. Synt. crit. p. 26 sq. Elmsl. in praef. ad Soph. Oed. R. p. 10 et ad Eur. Med. 56. Markl. ad Suppl. 338 et 796; Buttm. gr. gr. §. 29, not. 4. — Schneiderus in libello de dial. trag. gr. p. 37 et 38, elisionem illam etiam ante brevem vocalem defendit, Buttmannum sequutus in gr. gr. §. 30, not. 6, qui tamen et ipse praeter duos locos, Soph. Ai. 191 et Eur. Andr. 427, modo pertractatos, et duos Homericos, Il. 1, 673, et v. 481, quos, cum producta sequatur syllaba, falso hic enumeravit, certiores in medium non protulit. Cf.

Thiersch. gr. gr. l. l. Etenim pronominum elisio, ante brevem vocalem facta, mihi quidem magis dubia vel propterea videtur, quod neque ante productam quidem syllabam neque diphthongum invenitur. Verum quidem est, quod addit Schneiderus p. 38 οἴμοι satis frequenter elidi ante longam vocalem, praecipue ante ω. V. Soph. Ai. 354. οἴμ', ὡς ἔοικας ὀρθὰ μαρτυρεῖν ἄγαν· ibid. 588, Arist. Nub. 773 οἴμ', ὡς ἥδομαι· et 1238. Sed in hac interiectione pronomen μοί abundat, et vim suam plane perdidit; cf. Herm. ad Eur. Hecub. 793, Koen. ad Gregor. Cor. p. 171. Nihil igitur ex hac elisione, loquendi usu vulgari, ut videtur, tritissima, cum Schneidero colligi poterit de elidendis pronominibus μοί et σοί. Quibus artis limitibus quum circumscriptus sit apostrophi usus, eximendi sunt etiam loci, quibus syllabae οι et αι nominativi pluralis numeri elisae videri possint. I) Eur. Herc. fur. 858 ἥλιον μαρτυρόμεσθα δρῶσ', ἃ δρᾷν οὐ βούλομαι· ubi δρῶσ' non est δρῶσαι, sed δρῶσα, licet praecedat μαρτυρόμεσθα. De se sola enim loquitur Lyssa. Simillima ratione II) Ion. 1264 Διωκόμεσθα θανασίμους ἐπὶ σφαγὰς Πυθίᾳ ψήφῳ κρατηθεῖσ'· ἔκδοτος δὲ γίγνομαι· de semet ipsa loquitur Creusa plurali verbi numero, sed altero versu singulari, γίγνομαι. III) ibid. 1130 ἐγνώσμεθ' ἐξῆς οὐσ' ἐν ὑστάτοις κακοῖς· ita enim locum corruptissimum legendum censet Lobeckius ad Ai. p. 248, quem alii aliter emendaverunt. Neque tamen intelligo, quomodo Lobeckius explicet ἐγνώσμεθ' οὖσα, quum non sint verba mulieris cuiusdam, sed potius ministri, ut apparet e

versu 1124, ubi a Choro compellatur *τί δ' ἐστιν, ὦ ξύνδουλε;* Hermannus, egregiam Porsonis emendationem cum Dindorfio amplexus (v. Kidd. ad Dawes. Miscell. critt. p. 293), *ἔγνωκ'· μεθέξεις δ' οὐκ ἐν ὑστάτοις κακοῦ* edidit, addito *δ'* sensus gratia. Quod quum sine dubio praeferendum sit, hic locus nihil pertinet ad rem. IV) Soph. Philoct. 369 *ὦ σχέτλι', ἦ 'τολμήσατ' ἀντ' ἐμοῦ τινι δοῦναι τὰ τεύχη τἀμὰ, πρὶν μαθεῖν ἐμοῦ;* Buttmannus aut cum Heathio *σχέτλιοι, ἦ* per synizesin, aut *σχέτλιοι* sine *ἦ* scribere vult. Sed v. quae monuerunt Hermannus et Matthaeius ad h. l.; Wunder. Adverss. in Phil. 89, Schaefer. ad Oed. Col. 1096, Elmsl. ad Eur. Med. 552, Huschk. ad Tibull. p. 72; Matth. gr. gr. §. 312, 2, et ad Hymn. Homer. p. 41. Actt. Monac. I, p. 36. Lobeck. ad Ai. p. 248. Cf. Aesch. Eumen. 136; Philoct. 645; Arist. Ran. 1479.

Iam liceat addere pauca quaedam de particula *τοί*, quae cum *ἄν, ἄρα* et *ἆρα* a multis elisionem pati putatur. Quapropter scribere solent *τ' ἄν, τ' ἄρα, μέντ' ἄν, ἦτ' ἄρα, οὔτ' ἄρα*, quae accuratius, ni fallor, per crasin coalita scribuntur *τἄν, τἄρα* s. *τἆρα, μεντἄν, ἦ τἄρα, οὐτἄρα*, alia. Hermannus ad Viger. p. 836 ubique *τἄρα* scripsit, ex eadem scilicet analogia, quam sequutus apud tragicos semper *τοὔπος, τοὔργον*, non *τοῦπος, τοῦργον* edidit. Sed quum in praefat. ad Soph. Oed. Col. p. 24, ubi interrogationi atque exclamationi locus sit, *ἆρα* scribendum esse docuerit, non *ἄρα*, quippe cuius particulae vis proprie in concludendo versetur, discrimen aliquod inter *τἄρα* et

τἆρα statuendum esse colligas. Itaque non dixerim cum Elmsleio, (quem v. ad Soph. Oed. Col. 543, 1351, 1442): „parum refert, num scribatur τἄρα, an τἆρα, an aliter, modo in animo teneatur, crasin esse, non elisionem.“ Cf. Valcken. ad Eur. Hippol. 480 et Diatr. p. 178; Matth. in gr. gr. p. 1212, ed. II, et ad Eur. Ion. 340. Buttmannus contra, qui in gr. gr. §. 29, 22, solam formam ἆρα, nunquam ἄρα, in his crasibus agnoscit, tamen τἄρα, ἤ τἄρα, οὐ τἄρα meliorem scripturam esse censet, eandem analogiam amplexus, qua praefert τοὔργον, τοὔπος, τἄλλα. V. §. 28, 7. Sed quum talibus crasibus, ut infra videbimus, tum demum recte imponendus sit accentus circumflexus, si iam ante coalitionem alterutri vocabulo insederat, aut litteris coalitis oritur diphthongus, praetulerim τἆρα i. e. τοὶ ἄρα, ἤ τἆρα, οὐ τἆρα, nisi si sensus postulat formam circumflexam ἆρα, quippe quae in crasibus intacta manere debeat. — Quod Schneiderus (de trag. dial. p. 45.) contendit, Homericorum carminum exemplo illarum formarum elisionem probari, id quidem adhuc maxime dubium est. Loci Homeri sunt fere hi: Il. α, 8. τίς τἆρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι; ubi requiritur producta syllaba, atque τοί aptissimum est; β, 761 τίς τἆρ τῶν ὄχ' ἄριστος ἔην, σύ μοι ἔννεπε, Μοῦσα, — Hymn. in Apoll. 19 πῶς τἆρ σ' ὑμνήσω; quibus locis plena forma τ' ἆρα legenda esset, nisi τἆρ longam efficeret syllabam. V. Buttmann. gr. gr. p. 124, not. **. Cui rationi quum repugnare videatur Od. α. 346 μῆτερ ἐμή, τί τἆρ' αὖ φθονέεις, ubi τἆρ' brevis est, rem ita expe-

dire satius erit, ut τε pro τοί in talibus locis sufficere statuamus cum Thiersch. gr. gr. §. 351, 2 d, ubi v. exempla, et Buttmanno l. l. — Quod attinet ad tragicorum comicorumque usum, iam Porso ad Eur. Med. 863 verissime monuit: „elidi non potest diphthongus in τοί, sed per crasin longam vocalem efficit.“ Cf. Markl. ad Eur. Suppl. 376. Itaque praeter necessitatem in Arist. Acharn. 162 ὑποστένοι μεντἂν ὁ θρανίτης λεὼς, Brunckius versui scilicet fulciendo, ut dicit, μέν τἂν γ' scripsit. Sed versus hoc adminiculo minime egebat. Cf. Eccles. 650 δεινὸν μεντἂν ἐπεπόνθη. Soph. Ai. 534 πρέπον γέ τἂν ἦν, ut recte scripsit Porso ad Eur. Med. l. l., Schol. Rom., Cod. August. et edd. vett. sequutus, pro vulgata γέ τ' ἦν ἄν, ut in qua praeter diphthongum elisum displiceant etiam particulae γέ τε coniunctae. Porsoni adsentiunt Herm. Wunder. Dind. et Matth. in ed. Weigel. Lobeckius, licet vulgatam servaverit, de Porsonianae regulae veritate dubitans; „τοί ante ἦν, ait, nec elidi posse, nec cum eo colliquescere, facile credam — ita h. l. fortasse scribendum, πρέπον τ' ἂν ἦν γε.“ Cf. quae contra Lobeckii sententiam disputavit Buttm. in gr. gr. p. 124, not. **, non profecto indigna illa, quae accuratius perpendantur. Subiicere liceat aliquot exempla. Soph. Trach. 319 οὔ τἄρα τῷ γε πρόσθεν οὐδὲν ἐξ ἴσου χρόνῳ διοίσει γλῶσσαν — recte scripsit Dindorf., minus accurate οὐτἄρα edidit Wunderus, Hermanno auctore; perperam Schneiderus οὔτ' ἄρα, ne scilicet exiret trochaeus! — Oed. Col. 1444 δυστάλαινα τἄρ' ἐγώ, ubi tamen, ut in exclamatione, Aldinam sequi et

cum Matthiaeo τἄρ' scribere malim. Eur. Hippol. 443 οὐ τἄρα λύει τοῖς ἐρῶσι τῶν πέλας, ut recte nunc restituit Monkius, quem v. ad Alcest. 49, 658, Valckenarii emendationem, qui in eo tantum erraverat, quod οὔ τ' ἄρα, i. e. οὔ τε ἄρα, librorum nonnullorum lectionem, amplexus erat; Alcest. 652. ἦ τἄρα πάντων διαπρέπεις ἀψυχίᾳ, ubi etiam cum ed. Ald. et Lascar. praetulerim ἦ τἄρα, cum hic locus exclamationem contineat. In quibus omnibus necessario requiritur producta syllaba, ita ut de elisione particulae τοί vix cogitari possit. In reliquis exemplis certe ubique ferri poterit τἄρα propter metri rationem, ut Soph. El. 397 χωρήσομαι τἄρ', οἵπερ ἐστάλην ὁδοῦ; add. Eur. Phoen. 712. Simili ratione τοὶ ἄν per crasin in longam syllabam τἄν coagmentantur; v. Eur. Iphig. Aul. 965 ἔδωκα τἄν Ἕλλησιν, et Soph. Ai. 450. Memorandum est, τἄν saepissime poni in apodosi post εἰ. V. Wellauer. ad Aesch. Agam. 844. Eumen. 814; Blomfield. ad Aesch. Sept. 179 et 548, et adde Prom. 359, Choeph. 997, ubi cum Blomf. scribendum est τἄν pro τ' ἄν. — Subiicere placet pauca quaedam ex Aristophanis fabulis deprompta: Lys. 435 εἰ τἄρα, νὴ τὴν Ἄρτεμιν, τὴν χεῖρά μοι ἄκραν προσοίσει —, ubi recte omnes libri ἆρα exhibent, quod requirere videtur exclamatio. Sed sufficit ἄρα in Eccles. 739 βαδιστέον τἄρ' ἐστὶν εἰς ἀγορὰν ἐμοί, ut optime Dindorfius scripsit. Cf. Ran. 656. Quam inania sint Schneideri argumenta, quibus particulae τοί elisionem defendere studeat, ex iis, quae usque adhuc disseruimus, satis apparebit. Adde Elmsl. ad Arist.

Acharn. 323; Matth. ad Eur. Suppl. 521; Thiersch. gr. gr. §. 243, 23 cum notula, (ed. tert.) Wolf. Anall. I, P. II, 447.

De prodelisione. (V. Schneideri Quaestt. de dial. trag. p. 28 sq.) In initio vocabulorum vocales litteras poetae scenici elidere non solent. Excipienda tamen fortasse, quod et ipsum nondum mihi quidem certissimum videtur, littera ε in quibusdam vocabulis, praecedente imprimis diphthongo et post voculam μή, aliasque monosyllabas, accentu intentas. V. Buttm. gr. gr. §. 29, not. 6, 7. Herm. in praef. ad Eurip. Bacch. p. 14. Elmsl. ad Eur. Heracl. 460. Longa igitur vocalis littera, sicubi in editionibus deest, rectius ubique restituitur in priori vocabulo, atque si elisione omnino opus est, vocabuli sequentis vocalis brevis loco cedere debet; (si quis igitur repudiaverit crases μὲν τἄν, ᾗ τἄν, rectius omnino cum Lobeckio ad Ai. p. 301 μέντοι 'ν, ᾗ τοι 'ν scribet, quam cum elisione dubia μέντ' ἄν, ᾗτ' ἄν,) v. Calliae senarium apud Athen. X, p. 454, A, ubi pro γράμμ' ἐστὶν rectius scribitur γραμμή 'στὶν, sive, quod equidem ubique praetulerim, per synizesin γραμμὴ ἐστίν. V. Dawes. Miscell. Critt. p. 340. Valcken. ad Eur. Phoen. 408, ubi minime scribendum est μὴ ̓χειν, quod oculos aeque ac bonam logicam, ut Wolfii verbis utar, offenderet, sed μὴ 'χειν, ut Helen. 440 μὴ 'χόντων et iterum 940 μὴ 'χειν, sive cum Aldina μὴ ἔχειν, μὴ ἐχόντων, quam scripturam utinam non improbavisset Porso; v. Wolf. Anall. I, P. II, p. 444. Buttm. gr. gr. l. l. Matth. gr. gr. §. 46. Göttling. de accentu p. 111. Pro τοῦ 'λατῆρος Arist. Acharn.

246, ut cum Brunckio Schaeferus edidit, τοὐλατῆρος per crasin nunc quidem scripsit Dindorfius, quod et ipsum, ubicunque fieri potest, elisioni longe praeferendum esse videtur. Quae prodelisio minus suavis est, si aut primum vocabulum pluribus syllabis constat, aut monosyllabum quidem, sed encliticum est. V. Soph. Phil. 933 μή μου 'φέλης, ubi etiam propter nimis insolitam litterae α elisionem cum Elmsl. ad Eur. Med. 56, Hermanno et Buttmanno statuere praestat crasin, quam ad analogiam similium ut τἀνδρὸς, τἀγαθοῦ graeci μἀφέλῃς pronunciavisse videntur, licet perspicuitatis causa melior sit plena scriptura. V. Buttm. et Herm. ad Soph. Phil. 933; Elmsl. ad Eur. Med. 56, 801. Eur. Rhes. 157 ἥξω 'πὶ τούτοις. Aesch. Prom. 749 μηδέπω 'ν προοιμίοις, et apud Aristophanem ἐξελῶ 'κ τῆς οἰκιάς· ἀγορὰ 'ν Ἀθάναις, quarum vocularum procliticarum naturam optime mihi videtur perspexisse Reisigius in Synt. Crit. p. 24, quum istam elisionem ita tantummodo concessam fuisse existimet, ut antecedens vocabulum aut monosyllabum esset, aut, quum ex pluribus syllabis constaret, extremam accentus intenderet. Quodsi vel penultima vel antepenultima accentum haberet, non potuisse quamvis producta ultima ad talem crasin valere, ut quasi refugientem voculam attraheret. Quare optimo iure negat graeca esse εἴθισμαι 'κ, καθίζομαι 'ν, παρεῖναι 's, apud Aristophanem, quae tamen Brunckio, ut par erat, magis placebant, quam καθίζομ' ἐν, similia. Sed Aristophani, ut supra vidimus, αι diphthongi elisio tam ante brevem, quam productam syllabam concedenda est. Blomf. ad Eur.

Iph. A. 407. Dawes. Miscell. Crit. p. 269. Gaisford. ad Hephaest. p. 222. V. Ar. Equit. 751, Thesmoph. 292. Idem Reisigius non iniuria Hotibium reprehendit, apud Arist. Lys. 605 *τί σε δεῖ; τί ποθεῖς; χώρει 'ς ναῦν* scribentem, quod etiam Wolfius probaverat in Anall. I, P. II, p. 453 sq. Schaeferus cum Brunckio edidit *χώρει ἐς ναῦν*, Dindorfius rectius *χώρει εἰς τὴν ναῦν*; neque enim sollicitat me hiatus in Comici versibus anapaesticis. Cf. Reisig. Coniectan. p. 263. *Εἴθισμαι 'κ* inferre voluit Porso, quem v. in Adverss. p. 253, in Eur. Iphig. Aul. 716 pro falsa nonnullorum codicum scriptura, *εἴθισμ' ἐκ*, quod Marklandus recipere non debuisset. Recte vero ceterorum codicum Aldinaeque lectionem restituit Matthiaeus *πείθεσθαι γὰρ εἴθισμαι σέθεν*. Ceterum inde a Brunckio in editionibus recentioribus perperam leguntur prodelisiones *παγκοίνῳ 'δάμῃ* apud Aesch. Sept. 590, (v. Wellauer. ad v. 441), *οἷον 'τράφης*, Soph. Ai. 558; *ὅτου 'φάνῃ*, Antig. 457; Oed. Col. 1608 *πεσοῦσαι 'κλαιον*· ibid. 1602 *ταχεῖ 'πόρευσαν*. ibid. 1607 *αἱ δὲ παρθένοι 'ρίγησαν*, ubi ex analogia scribere debuisset ridicule *'ρρίγησαν*, ut nuperrime edidit Hochederus, ne scilicet omissum videretur augmentum, quod in omnibus fere libris rectissime abest. Cf. Matth. gr. gr. p. 113, not. x. Herm. Elem. d. m. p. 121 et p. 51; Reisig. Coniectn. p. 82; Elmsl. ad Oed. Col. 1606. Neque vero synecphonesis, quae Reisigio placet l. l. p. 78. sq., neque crasis admodum dubia et insolita, (v. Herm. praef. ad Eur. Bacch. p. 16.) quam statuit Elmsleius ad Eur. Bacch. 1132, in talibus locis probari potest.

V. Wellauer. ad Aesch. Pers. 302. Etenim nunc inter omnes fere constat, Tragicos augmenti omissionem passim sibi indulsisse, in longioribus praecipue narrationibus, quarum natura quodammodo epica sit. V. Buttm. gr. gr. §. 83, not. 9. Herm. in praefat. ad Eur. Bacch. p. 50 sq. Longe aliter se habet σοῦ 'νεκα, i. e. σοῦ ἕνεκα apud Soph. Phil. 554, quod, ut vera crasis nunc quidem σοὔνεκα scribitur a Buttm. Herm. et Wundero. Non minus recte Matthiaeus edidit per synecphonesin σοῦ ἕνεκα, Schneiderus cum veteribus libris pessime σοῦ῞νεκα. Non debebam omittere Soph. Phil. 985, ubi Matthaeius perperam scripsit μὴ 'ρπῃς, recte Buttm. et Dindorfius μὴ ἕρπῃς per synizesin. Ceteri omnes μὴ ῞ρπῃς. Quod attinet ad elisi α exempla, v. Schneider. in Quaestt. de dial. trag. p. 29, ἢ 'πο, μὴ 'ποδώσεις, μακροῦ 'ποπαύσω, μοῦ 'φέλῃς, illa omnia elisionem non patiuntur, sed plene scribenda sunt, ut in codicibus veteribusque editionibus plerumque leguntur, testibus Valckenario ad Eur. Hippol. 996, Brunckio ad Soph. Phil. 782 et Elmsl. ad Eur. Heracl. 460. Cf. Reisigii Synt. p. 27 et 32. Ita apud Soph. Oed. T. 1388 multi libri exhibent τὸ μὴ ἀποκλεῖσαι, quod Graecos μἀποκλεῖσαι pronunciavisse veri simillimum est. Cf. Aristoph. Acharn. 465 Dind. μὴ, ἀλλά μοι δὸς ἓν μόνον κοτυλίσκιον, et Aesch. Choeph. 905 μὴ, ἀλλ' εἴφ' ὁμοίως —, ut e codicibus edidit Wellauerus, Blomfieldium sequutus, qui minus accurate μὴ, ἀλλ' crasin vocavit in Add. ad h. l. Edd. vett. μὴ, 'λλ' εἴφ' — quod aeque ridiculum est, ac si quis apud Eur. Cycl. 154 οὐ μὰ Δί', 'λλ' ὀσφραίνομαι

scribere velit cum Buttlero ad Aesch. Agam. 294. Recte nunc apud Aristoph. Eccles. 578 edidit Dindorf. οὐ μὰ Δί', ἀλλ' ἄρχειν; cf. ibid. v. 596. Cuiusmodi ecthlipses frustra defendit Schneiderus, qui nimis artis finibus synecphonesin includit; add. Matth. gr. §. 56, 5; Monk. ad Eur. Hippol. 1331; Meinek. ad Menandr. p. 566, 514 et 197; Herm. praef. ad Eur. Bacch. p. 14 et ad v. 1053. — Nec satis placet, quod Wellauerus et Blomfieldius ediderunt, ὦ 'πολλον, apud Aesch. Agam. 1043. Quum enim libri nonnulli praebeant Ἄπολλον, sine ὦ, scribendum videtur ὦ Ἄπολλον; mixta enim vocalis littera, non oculis, sed auribus tantummodo percipienda, medium quoddam fortasse sonabat inter α et ω, quod neque hac, neque illa littera sola exprimi potuerit. Sed iam me in λεπτολογήματα incidere sentio, de quibus penes unumquemque suum est iudicium atque arbitrium; ubi cuivis coniicere quidem atque opinari, certas vero regulas proferre nemini licet. Nam codices in hisce rebus orthographicis minime sibi constant, neque grammaticorum quidem veterum praecepta, de vario elisionis crasisque usu tradita, omni ex parte inter se congruere paullo infra videbimus. V. Wolf. Anall. I, P. II, p. 450. — Syllabas τὰ αἰ et τὸ αἰ rectius per crasin, quam per elisionem coalescunt, ut τᾀσχρὰ apud Eur. Troad. 399, ubi legendus est Seidleri Excursus locupletissimus. V. Schneider. p. 39. Neque enim articulus, perpaucis formis exceptis, unquam elidebatur, sed cum proxima vocali aut diphthongo in crasin coagmentatur. Legebatur olim apud Arist. Ran. 1385 et Thesm. 549 ταἴτιον, ubi nunc recte τᾄτιον

scripsit Dindorfius; Lys. 205 θαἶμα, quod similitudinem quandam prae se fert cum notissimis formulis θοἰμάτιον, θαἰμάτια, quae et ipsa propius absunt ab elisione, quam a crasi legitima, quippe quae requirat potius θῳμάτιον θᾳμάτια. Sed rariora haec sunt, atque propter aliarum multarum crasium analogiam recte, arbitror, a Buttmanno in gr. gr. §. 29, not. 14, inter illas enumerantur; v. Wolfii Anall. I, P. II, p. 456. Similem in modum κᾀσχύνην scribendum esse censuit Seidlerus, iure improbans mirum illud Marklandii commentum κᾳἰσχύνην apud Eur. Suppl. 767. Ceterum articuli mera elisio denegari vix poterit in formis τοὐράνου, τοῦ οὐράνου, similibus, ut censet Schneiderus p. 39, 40, qui comparat θἠμέρᾳ, θἠμέτερον, θἠρῴον, θἠμετέρου. Neque enim talia cum Reisigio crases esse dixerim, quoniam e syllabis coalitis non nova quaedam ac diversae naturae exit syllaba, sed absorbetur potius articulus a sequentis vocabuli diphthongo aut longa vocali littera. V. Herm. ad Soph. Ai. 743. Huc non pertinere τοὐμοῦ, i. e. τοῦ sive τὸ ἐμοῦ, τοὔργου, i. e. τοῦ ἔργου, ut legitimas crases, perspicuum est. Nondum enim rationem suam τοῦ 'ράνου, τοῦ 'μοῦ, τοῦ 'ργου scribendi mihi probavisse Lobeckium, ingenue fateri licebit. — Diphthongi prima brevis vocalis littera non eliditur; v. Buttm. gr. gr. §. 29, 7. Itaque cum codicibus plurimis per synizesin scribenda erunt ἡ εὐσέβεια apud Eur. Iphig. Taur. 1210; μὴ εὕρω, Arist. Ran. 169, non μὴ 'ὕρω, quod prorsus absonum videtur; ἔα αὐτόν ibid. 1243, non ἔα 'ὐτόν, neque, quod Dawesius finxerat, ἀλλ' ηὐτόν, teste

Musgr. ad Soph. Oed. Col. 1192, ubi cf. Wunder. et Herm.; μὴ αὐτὸν in Eccles. 643, non μὴ 'υτὸν —, neque ὦ 'υριπίδη pro ὦ Εὐριπίδη in Thesm. 4, in quibus parum certa est pronunciandi ratio. Cf. Wolf. Anall. I, P. II, p. 456, et Elmsl. ad Soph. Oed. C. 1187. Cetera prodelisionis exempla, quae Schneiderus attulit p. 30 sq., paullo post singulatim pertractabo, quum potius ad crasin referenda esse videantur. Sed nunc parum abest, quin omni ex parte Buttmanni sententiam amplectar, (v. gr. gr. §. 30, not. 7.), nullum omnino admissum fuisse apostrophum in vocabulorum initiis, quoniam nunquam inveniatur ille brevi vocali littera praegressa. Accedit, quod apud nullum, quos mihi quidem licuit inspicere, grammaticorum veterum, hanc materiem pertractantium, prodelisionis mentionem factam inveni. Quam prodelisionem, ut nomine utar, quod Schneiderus parum commode finxit, cavendum est, ne confundamus cum aphaeresi, in quem errorem incidit Thierschius in gr. gr. §. 40 et §. 243, 27 ed. tert. V. Gregor. Cor. p. 456. Schaef. ἔστι δὲ ἀφαίρεσις ἡ κατ' ἀρχὰς ἄρσις, ἐκεῖνος, κεῖνος, ἐχθὲς, χθὲς κ. τ. λ. Cf. ibid. Excerptt. e Cod. Paris. p. 675 sq. et Add. ad Matth. gr. gr. tom. II, p. 1317, et p. 1270, not. 2. — Prodelisionis ridicula exempla, sine ullo iudicio congesta, leguntur apud Maittair. de dialectt. p. 17 sq. ed. Sturz. — Non possum, quin paucis disseram de dubiae formae coniunctione ὅθ' οὕνεκα, ut perperam legebatur olim in libris MSS. et impressis, derivata videlicet illa e duabus particulis idem significantibus, ὅτι et οὕνεκα, quas ἐκ παραλλήλου positas esse

putabant. Primus Lobeckius in Soph. Ai. 123, vera voculae origine perspecta, edendum curavit *ὁϑοὕνεκα*, i. e. *ὅτου ἕνεκα*, quod Buttmannus defendit in gr. gr. §. 29, not. 14 ex analogia vocabulorum *ϑοἰμάτιον*, *ϑοὔδατος*, ideoque, quod *ὅτι* ab Atticis nunquam elidatur. Cf. Lob. ad Ai. 801, et ad Phryn. p. 657, Herm. ad Soph. Trach. 276. Nam ut *οὕνεκα* ex *οὗ*, ita *ὁϑόυνεκα* oritur ex *ὅτου*. Repugnare tamen videri potest analogia formae *τοὔνεκα*, i. e. *τοῦ ἕνεκα*, quae nunquam *ϑοὔνεκα* scribatur. Quapropter Matthiaeus in Add. ad Eur. Alcest. p. 507. defendere studet *ὁτόυνεκα*. Quam quidem formam si alteri praeferendam censes, non iam de crasi, sed de sola elisione *ὅτου 'νεκα* sermo esse poterit. Sin crasin adhibendam putaveris; id quod mihi quidem veri videtur simillimum, Buttmanni scripturam *ὁϑοὔνεκα* sequi debebis coronide non neglecta. Ceterum *ὁϑοὔνεκα* ubique praebent magno consensu libri MSS., ut veram crasin. Negamus enim, analogiam formae *τοὔνεκα* huc pertinere, ut in qua spiritus asper, — est enim epica — neglecta sit inde ab initio: *ὁϑοὔνεκα* contra, formam recentiorem et Atticis usitatam, spiritu carere non posse iudicamus. In veteri sententia perstitit Schaeferus in Ind. Hecub. ed. Porson. s. v. *ὅτι*, elidi posse *ὅτι*, licet in Add. ad Eur. Alc. ed. Matth. l. l. de hac elisione adhuc quaerendum esse non negaverit. Iure tamen idem Schaeferus improbavit rationem, quam nimis subtilem iniit Reisigius in Enarrat. Oed. Col. v. 940: „*ὅϑι οὕνεκα* est plene: ubi id est, cuius caussa quidque fit;“ quod commentum mirificum exemplis comprobare studet. Credat per

nos quisquis volet! Cf. Schaef. ad Soph. Ai. 123. De ὅτι non elidendo v. Porson. ad Eur. Hecub. 112. Erfurdt. ad. Soph. Ai. 793 ed. mai. et Lobeck. ibid. (801). Quod Schneiderus ad Soph. Ai. 123 ὅϑ' οὕνεκα, (sic enim pessime scripsit) comparat cum vernaculo deswegen; weil, atque οὕνεκα, ut διὸ vertendum esse censet deswegen, id quidem alienissimum est. Nam vernacula lingua „deswegen" est demonstrativum, et coniunctio „weil" relativi vice quodammodo fungitur, ideoque in eius locum saepe substitui potest „weshalb, weswegen" sensu relativo. At vero graece minime sibi vicissim respondent demonstrativum et relativum, sed utraque particula ὅτι et οὕνεκα relativa est, neque ullo nexu inter se cohaerent. Aliter res haberet, si dixissent Graeci τοὕνεκα, ὅτι. — In fine trimetrorum iambicorum vocales litterae passim elidebantur. V. Valcken. ad Eur. Phoen. 891. Quae tamen elisio non temere aliter admittebatur, nisi si sensus artissime iungi iuberet vocabula cum versu sequente. V. Herm. Elem. d. m. p. 33. Id quod tum plerumque fieri solet, si proxime praegressa est interpunctio, quae, quod pausam in pronunciando fieri iubet, sequentia eo artius coniungi postulat. Cf. in primis Hermanni Observatt. de graecae linguae dialectis, (Programma, 1807 scriptum) p. 10 et 16. Ceterum, quoad eius fieri poterat, operam dederunt tragici poetae, ne senarius in vocalem litteram exiret, si vocalis inciperet sequentem versum, uno tenore cum priore iungendum, ut hic etiam vocalium concursus sedulo vitaretur. Cuiusmodi exempla apud Aeschylum quidem nulla omnino inveniuntur, apud Sophoclem, Calliae tragici,

qui auctore Athenaeo X, p. 453 E. primus hoc facere ausus est, exemplum sequutum, decem haecce: Antig. 1018, ubi v. Erfurdt. et cf. Valcken. ad Eur. Phoen. 676; Oed. T. 29; ibid. 332; ibid. 791, 1184, 1224; Electr. 1017; Oed. Col. 16, 1164, ubi v. Herm.; unum apud Euripidem in Iphig. Taur. 930. Inde ab edito Sophoclis Oedipo hanc elisionem passim sibi indulgebant tragici poetae. V. Porson. ad Eur. Med. 510.

De crasi.

Omnium frequentissima est crasis articuli, qui cum sequentibus vocalibus litteris, ε inprimis et ο, solemni modo coalescit, ut οὐχθρὸς, Soph. Ant. 526; οὑπὶ — Arist. Nub. 218; τοὔπος, τοὔργον, similibus, coronide, crasis signo, semper adiecta, de qua apud Etymologum p. 763, 9., leguntur haec: ἰστέον, ὅτι ἡνίκα γίνεται κρᾶσις ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων, τίθεται κορωνίς, οἷον τὸ ἐμόν, τοὐμόν, τὰ ἐμά, τἀμά, προέστη, προὔστη, πρόοπτον, προὔπτον, κ. τ. λ. Quae iisdem fere verbis expressa leguntur in Lexico περὶ πνευμάτων post Ammon. ed. Valcken. p. 215. Cf. Wolfii Anall. I, P. II, p. 439 — 443; Seidleri Excurs. ad Eur. Troad. p. 147 sq. Maittair. de dialectt. p. 21, ed. Sturz. Reisig. Synt. Crit. p. 20 sq. Buttm. gr. gr. §. 29, 3; Matth. gr. gr. §. 53. — Verumtamen signum illud crasis ideo parum commodum est, quoniam ei, ut nunc quidem pingitur, triplice munere fungendum est, apostrophi videlicet, spiritus lenis atque coronidis. Neque tamen ideo eam negligere licebit, nisi ubicunque cum leni spiritu con-

venit, qui tamen plerumque in crasibus scribendis rectius abest. Neque, uti olim fere solebant, exarandum est θοὔρμαιον, θοὐκατεῖον, θ᾽ὦπλα, χ᾽ῴ, quum transierit aspiratio in litteras θ et χ, neque necesse sit, ut spiritus asper adiiciatur, sed potius θὦπλα, χῴ, i. e. καὶ οἱ, quamquam Seidleri sententia l. l. p. 149, qua spiritus servandus sit, analogia quadam defendi potest. „Magno enim consensu etiamnum scribimus νύχθ᾽ ὅλην", ait Seidlerus; at vero haec mera est elisio, non crasis. Veteres grammatici scribere solebant Ἀτρεύς, καπρός, θρόνος, χρόνος, de quibus v. Villoison. Anecdd. II, p. 121, et Wolf. Anal. I, P. II, p. 440. Matth. ad Eur. Iph. Taur. 336. — Neque vero tanta est editorum inconstantia in accentu ponendo, quanta videtur Schneidero, qui more suo, utrumque accentum pro arbitrio adhiberi posse ratus, neutram scribendi rationem neque pluribus, ut par erat, defendit, neque repudiavit. Quamquam Hermannum, aliosque, quorum auctoritas gravis esse debet, τοὔργον, τοὔπος, i. e. τὸ ἔργον, τὸ ἔπος, scribere solere non ignoro, tamen cum Wolfio, quem v. l. l. p. 431, praetulerim τοὖργον, τοὖπος, quam scripturam a Lobeckio in Aiace, a Wellauero, Schützio, Blomfieldio aliisque observatam esse video; sed numero plurali τἄργα, ut τἄλλα, θὤπλα, quae formae analogia crasium τἄνδον, κἄτι, χἄμα, aliarum, de quibus nulla dubitatio subnasci potest, luculenter defenduntur. V. Popp. Prolegg. in Thucyd. p. 215. et Buttm. gr. gr. §. 28, 7. Licet enim secundum grammaticorum praeceptum accentus circumflexus oriri non possit e gravi cum acuto,

diphthongus tamen in tali coalitione, qua duo vocabula pro uno habentur, atque ideo sub uno accentu comprehenduntur, rectius omnino circumflexo instruendus est, ubicunque propter sequentem brevem syllabam fieri potest. „Atqui, dicat aliquis, non minore editorum constantia ubique legimus κᾀτα, i. e. καὶ εἶτα, κᾦνος, i. e. καὶ οἶνος, ὦναξ, i. e. ὦ ἄναξ, οὖνος, i. e. ὁ οἶνος. Quod discrimen unde oriatur, quoque modo iudicandum sit, e Wolfii argumentis valde perspicuis iisdemque simplicissimis facillime derivari potest. Nam aut syllaba iam ante coagmentationem in talibus vocabulis flexa erat, aut miscendo diphthongus exiit, cui in crasi, ut in omni contractione, circumflexum accentum adiiciendum esse, ipsa coaliti soni natura atque indoles docere debet, monophthongo non item; neque timendum est, ne aliquis, discrimine illo, quod in talibus vocabulis scribendis intercedit nonnunquam e numeri diversitate, (ut in τοὖργον, τἄργα) nimis offensus, obiiciat nobis cum Elmsl. ad Eur. Med. 888. inconstantiam in unius vocabuli singulari et plurali numero scribendo; hoc enim argumentum vel minimi foret momenti. Neque videmus, quamobrem circumflectamus τἆλλα, quum sit τὰ ἄλλα, neque perspicuum est, quomodo unquam dubitari potuerit de iis, quae Wolfius acute disputavit in Anall. 1, P. II, p. 431 sq. V. Buttm. in Add. ad gr. gr. p. 391. Quod enim ex analogia crasium τἀπό, τἀγαθά, τἀληθῆ ostendere laborat Schneiderus, τἆλλα crasin esse, non elisionem, id quidem eum non satis intellexisse Wolfii sententiam, paullo obscurius expressam palam facere videtur. Loquitur enim Wolfius p. 433

de genere quodam coalescendi, inter crasin et elisionem interiecto, sive de coagmentatione, quae nihil in sequente vocali mutet, ut ταὐτόν, κἀνθύς, κἀι, similibus, quibus adiungit τἄλλα; etenim syllabae secundi vocabuli priores per se longae sunt, neque crasi demum naturam suam mutare possunt. De mera elisione non cogitavisse Wolfium, quod putare videtur Schneiderus, colligi potest exinde, quod p. 434 τἄλλα defendit analogia crasium τἄνδον, κἄτι, quae ideo tantum differunt, quod coalitione demum facta producitur syllaba, quae in ἄλλα positione longa est. Sed nescio, an non haec distinctio inutilis sit, quippe qua fines elisionis et crasis incertiores fieri videantur. Neque vero cum Schneidero timendum est, ne quis confundat τ'ἄλλα, i. e. τε ἄλλα et τἄλλα, quum illud sola positione syllabam habeat longam, hoc vero per crasin etiam producat; quod discrimen Graecos auribus commode percipere potuisse contenderim. Legentem enim scripturae diversitas monet de discrimine formarum τἄλλα et τ' ἄλλα. Quibus accedit auctoritas Gregorii Cor. p. 116 ed. Schaef. et Lexici περὶ πνευμάτων (post Ammonium, ed. Valcken. p. 215) testimonium, unde veram, et a codicibus distincte exhibitam scripturam τἄλλα fuisse discimus, quum paullo ante legantur τοὖργον, τοὖπος, et Herodiani in Schol. Venet. ad Il. α, 465, qui perperam eandem formae τἄλλα originem statuit, quam habeant τ'ἄρ, γάρ, quippe quae e τὲ ἄρ et γε ἄρ compositae corripiantur. In quem errorem profecto non temere incidisset doctus grammaticus, si τἄλλα in libris legisset. Quod utrum ortum esset e τε

ἄλλα an τὰ ἄλλα, diu disceptabant grammatici. V. Wolf. p. 436, 437. Buttm. gr. gr. Add. ad §. 29 not. 5. Quorum e doctrina quum, ut vidimus, accentus circumflexus ex acuto cum gravi, non e gravi cum acuto prodeat, (v. Göttling. de accentu p. 110), crasin nunquam circumflexum accipere potuisse sequeretur, nisi iam antea insedisset vocabulo integro. Nihilo minus in optimis quibusdam codicibus leguntur τἆλλα, τοὖργον, τοὖναρ, licet ex illa regula acutus suffecisset. Cuius discrepantiae caussa quaerenda videtur in diversis de illarum formarum origine Grammaticorum sententiis, quum in iis aut propriam cognoscerent synthesin et, ut ita dicam, organicam, qua duo vocabula in unum coalita, ut unum tractanda essent, aut, sin minus, verbis coalitis eundem imponerent accentum, qui ante coagmentationem secundo vocabulo insederat. Quorum e sententia, quae et ipsa Wolfii ratione continetur, recte scriberentur κᾆτα, τἆθλα, ἐγᾦδα, ἐγᾦμαι, quia altera syllabarum contrahendarum circumflexo accentu instructa erat, sed τἄνδον, τὰ ἔνδον, τἄργα, τὰ ἔργα, τἄλλα, κἄτι, χἄμα, χἄσοι, quoniam accentus acutus secundae syllabae insederat. V. Buttm. gr. gr. §. 28, 7; §. 9, 3. Discrepat tamen Wolfii ratio in eo, quod omnibus diphthongis quoque circumflexum imponendum esse recte statuit, etiamsi ante coalitionem eum non habuerint. Tum vero ultimam syllabam brevem esse debere, non est, quod moneam. Atqui iam alia subnascitur difficultas. Communis scilicet regula postulat, ut bisyllabi vocabuli prima syllaba longa circumflectatur, si altera brevis est. At non desunt

exempla huic regulae repugnantia, quorum nondum satis expedita est ratio; v. Wolf. Anall. I, P. II, p. 435. Quibus annumerari praestat τἄλλα, τἄργα, similia, quam circumflectendis iis eam regulam tollere, qua circumflexus accentus iis tantummodo contractionibus tribuendus sit, quae ante coalitionem acutum habuerint cum gravi, sive, id quod eodem redit, ipsum circumflexum. Quo necessario discrimine sublato iam scribendum foret κἆτι, χἆμα, χὦτι, χὦστις, κἆνθεν, (v. Wolf. l. l. p. 432), in quem errorem nemo, quod sciam, adhuc usque incidit. Nec quisquam Buttmanni rationem, τἆλλα, τἆνδον defendentis in gr. gr. §. 29, 5 *, conciliaverit cum iis, quae de contractarum syllabarum accentu ipse exposuit §. 28, 7, nisi fortasse aliter se habere accentuum rationem arbitretur in uno eodemque vocabulo contracto, aliter in duobus coalitis vocabulis. Ceterum Porso, Hermannus, Wunderus, Dindorfius, Wellauerus, Bothius, Passovius aliique recentiores scribere solent τἄλλα, τἄργα, similia. Quare, usque dum certioris aliquid inventum fuerit atque comprobatum, in Wolfii, viri summi, regula acquiescendum esse ducimus; v. Matth. gr. gr. p. 120 et 112 c. Add. — De ι subscripto, quod dicunt, cuius usus iam diu certis finibus coercitus erat, magnas denuo turbas excitavit Schneiderus p. 43. Id quidem concedit, duorum ι alterum abiiciendum esse, quum alterum tantummodo audiatur, neque utrumque adscriptum patiatur analogia ususque scribendi; itaque pro καὶ εἶτα, καὶ οἰκίαν scribendum esse κᾦκίαν, κᾆτα. Neque tamen ι, in medio contrahendarum vocalium positum, prorsus

abiiciendum esse censet, quum praesertim idem, si adhaereat secundi vocabuli diphthongo, subscribi soleat, ut in ἐγὼ οἶδα, ἐγᾦδα. Praefert igitur χῷσα, χὤπως, κἀγώ, lectoribusque offert errores, iam pridem ab intelligente quovis repudiatos. Res ita se habet: si duarum syllabarum prima diphthongum habet in ι exeuntem, prorsus perit hoc ι, alteraque vocalis littera, quae restat, cum sequente vocali solemni ratione contrahitur. Ita ex οι et ε prodit ου, ut σοὔστιν, μοὔδοκει, μοὐγκώμιον, οὑμοί, μεντοὔφασκεν i. e. μέντοι ἔφασκεν, ut recte scripsit Dindorf. in Arist. Eccles. 431. V. Buttm. gr. gr. §. 29, not. 4. Errant igitur, qui talibus formis ι, quod plane omittendum est, subscribendum putant. Noli scribere κἀγῷ, χῷπως, ᾧλλοι; primum enim fit θλίψις litterae ι, deinde vero crasis; neque crasi facta amplius admittitur ι, sed exteritur. V. Excerptt. e Cod. Paris. post Gregor. Cor. p. 679, XIV, ed. Schaefer. Neque illud quidem ι, quod ante crasin primae syllabae subscriptum fuerat, crasi facta remanere potest, ut discimus ex Etym. M. p. 412, 47. V. Matth. gr. gr. §. 42, not. Buttm. gr. gr. §. 29, 2***. De crasi τῇ'μῇ, i. e. τῇ ἐμῇ. v. Etym. M. p. 431, 14 et 337, 4. Sin vero e monophthongo praecedente et diphthongo in ι exeunte fit coalitio duorum vocabulorum, ι subscribitur; imprimis, ubi articulo subiiciuntur diphthongi οι et αι, prima diphthongi littera cum articulo coalescit. V. Etym. M. p. 822, 53, s. v. ᾡπόλος. Accedit, quod ι subscriptum natura brevis est; qua enim ratione producta vocalis littera prorsus interire potuerit pronunciando, parum appareret. Vix tamen

dubitandum est, ι apud graecos auditum fuisse, idque sine ulla vocis molestia, praesertim vocali littera sequente. Tum enim consonae fere litterae vicem sustentavisse videtur, ita ut λῴων sonuerit fortasse lojon. V. Herm. de emend. rat. gr. gr. I, p. 36, et 42 sq. Viger. de Idiotism. p. 526. Bekker. Anecd. p. 496. Welcker. Spicileg. Epigr. gr. II, p. 20. Accedit etiam scribendi ratio in veteribus monumentis, ut in Inscr. Sigea, quae κἀγώ, κἀπίστατον similia praebet, et apud Osannum in Syllog. Inscriptt. I, p. 127, qui et ipse iure maximo reprehendit Schneiderum. Add. Franck. ad Inscriptt. Richter. I, 8, 1. Nam quum ι non pro integra syllaba haberetur, operae prorsus omittere non dubitabant hanc litteram, cuius vestigia propter pronunciationis tenuitatem paullatim exstincta esse videntur. V. Wolf. Anall. I, P. II, p. 422, De magno MSS. librorum, vetustiorum imprimis, consensu, κἄν, κἄπειτα, similia, sine ι exhibendi cf. Porson. in praefat. ad Eur. Hecub. p. 5, 6, et 18 ed. Lips. et Iacobs. in praef. ad Anthol. Palat. p. 29. De crasibus χὀι sive χοἰ, χοἶον, χὠποῖος, ut recte Dindorf. et Reisig. in Aristoph. scribunt, v. Meinek. ad Menandr. p. 358; Buttm. gr. gr. §. 29, not. 18 c. Add.; Thiersch. gr. gr. §. 243, 22, 26; Elmsl. ad Eur. Med. 562. Martin. in Syllog. vv. ll. ad Soph. Antig. 542; Monk. ad Eur. Hippol. 1445; Reisig. Syntagm. p. 30 sq. Valcken. ad Phoen. 577 et Hippol. 914. Voss. in Hymn. in Cer. v. 227. Iam de ceteris, maxime dubiis articuli crasibus pauca adiicienda sunt, quas inter elisiones enumerare maluit Schneiderus p. 30 sq. Per crasin scribenda

sunt ἡὐγένεια, ἡὐσέβεια, ut etiam in libris MSS. leguntur, ne parum probabilis exeant formae ἡ 'υγένεια, ἡ 'υσέβεια, quae etiamnum in edd. nostris passim oculos offendunt, (v. Valcken. ad Eur. Phoen. 407; Buttm. gr. gr. §. 23, not. 13.) sive plene cum synizesi, ut codices fere solent; v. Brunck. ad Soph. Philoct. 782. Elmsl. ad Eur. Heracl. 460; Med. 56. Quoties articulus in vocalem litteram desinit, sequens vero vocabulum vocali incipit, utrumque per crasin coalescere solet. Itaque pro τοῦ ἐμοῦ non τοῦ 'μοῦ sed τοὐμοῦ scribendum est, ut saepe exhibent Aldinae; porro τἀμά, τὤχλῳ, τοὐλυμπίου; cf. Elmsl. in praefat. ad Soph. Oed. T. p. 10; ὠφήμερε, ὤνθρωπε, ut scribendum censet Wolfius, et recte quidem; praefert tamen Reisigius in Synt. Crit. p. 28 τοῦ 'λυμπίου, ὦ 'νθρωπε, ὦ 'φήμερε, eandem syllabam, quae duabus vocalibus in unum coeuntibus vi sua alteram superet, neque per commixtionem in aliam naturam transferatur, tonum suum retinere debere ratus. Id quod cum Buttmanno in gr. gr. §. 29, not. 6. perspicuitatis causa alteri scripturae praetulerim, quae, quamvis idonea per se, in libris MSS. non temere reperiatur. Neque tamen ideo de prodelisione cogitandum est. V. Matth. gr. gr. p. 124. Thiersch. gr. gr. §. 243, 21. Immo vero adest crasis; sed quoniam littera antecedens, ut in duobus illis exemplis vocula ὦ, per commixtionem naturam suam mutare non potest, quod in plurimis crasibus fieri solet, eiusmodi crasis elisionis speciem prae se fert. Melius tamen apud Aristophanem cum Dindorfio scribitur ᾠζυρέ, (sive potius ᾦ'ζυρέ, i. e. ὦ οἰζυρέ,) notato tam spiritu,

quam vocabulorum coalitione. — Inter crases referendum est etiam ὦ 'τᾶν, pro ὦ ἐτᾶν, (v. Göttling. de accent. l. gr. §. 26, II, not. 2, et Passov. Lex. s. v. τᾶν) ut nuperrime docuit Herm. ad Soph. Phil. 1373 contra Buttmannum, qui in gr. gr. p. 224 τάν sive antiquam quandam formam fuisse pronominis τί, sive, (quod facilius comprobaverim) e τῆνος ortam esse putavit. Sed cf. Apollon. de adverb. in Bekkeri Anecdd. p. 569, 11, sq., qui, ut a μέγιστος derivetur μεγιστᾶν, ita a ξυνός oriri docet ξυνᾶν, a νέος νεᾶν, ab ἔτης ἐτᾶν; quae quidem sententia omnino habet, quo defendatur. Cf. Ruhnk. ad Tim. Lex. p. 281. Pierson. ad Moer. p. 423. Lobeck. ad Phryn. p. 196; Bast. in Add. ad Gregor. Cor. p. 904. Etym. M. 825, 11. De accentu v. Dionys. Thr. in Bekkeri Anecdd. p. 949, 21, et Lex. Rhetor. ibid. p. 318, 4. — Quibus addendae sunt formae οὑμοί, (de οὑμός, quod iam apud Homerum legitur, v. Thiersch. gr. gr. §. 165, 1.) οὑπιχώριοι, οὑν, i. e. οἱ ἐν, quod minus bene οἱ 'ν scribitur. V. Gregor. Cor. p. 148: ἀττικὸν καὶ τὸ ἐκθλίβειν ἅμα καὶ κιρνᾷν, ὡς τὸ „οὐ γάρ μοὐστὶν“ ἀντὶ τοῦ οὐ γάρ μοί ἐστιν· ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ι, κ. τ. λ. Elmsl. ad Eur. Med. 56, not. z. et v. 801; praef. ad Soph. Oed. T. p. 10; Herm. ad Soph. Ai. 1204. Subdubitat tamen Wolfius l. l. p. 452, propterea, quod nullum futurum sit discrimen inter ὁ ἐν et οἱ ἐν, si οὑν scribatur. In qua ambiguitate vix unquam Graecum laboravisse putaverim cum Reisigio in Synt. crit. p. 23. Relativum etiam pronomen crasin nonnunquam patitur, ut in οὑφόρει, 'αγώ, 'ἄ'ν, i. e. ἃ

ἂν et αἲ ἂν, ut Soph. Oed. Tyr. 1231, ubi plurimi codices praebent αἲ ̓͂ν, Elmsl. omisso ἂν minus bene edidit αἲ. V. Matth. Monk. et Wüstem. ad Eur. Alcest. 198. Elmsl. ad Arist. Acharn. 323; Thiersch. gr. gr. §. 243, 17 cum not.; Martin. ad Soph. Electr. 943. Miserrime rem conturbavit Schneiderus p. 23. Non iniuria tamen dubitat idem de prodelisione πειράσομαι 'γώ, iam Buttmanno improbata illa in gr. gr. §. 29, not. 7, quam post Dawesium ubique inferre coeperat Porso ad Eur. Med. 722, qui tamen parum sibi constans in Arist. Ran. 509 scribere maluit per crasin, quam falso vocavit, περίοψομαι ἀπελθόντ', teste Gaisfordio ad Heph. 222, quum metri ratio productam requireret syllabam. A Schaefero et in ed. Weigel. περιόψομαι ἀπελθόντα optime per synizesin nunc editum est; cf. Matth. gr. gr. §. 45. Neque enim h. l. de elisione sermo esse potest, neque satis recte scribitur περιόψομαι 'πελθόντ', quum α a prioris vocabuli brevi diphthongo αι absorberi non possit. Porsonis rationem licet minus probaverit Wolfius l. l. p. 455, tamen facile praestare censet monstrosis formis περιοψομἀπελθόντ', εἶθισμάκ, χρῆστᾀτέρῳ pro χρῆσται 'τέρῳ i. e. ἑτέρῳ, in quibus de omni accentu prorsus desperandum sit; rectius Dindorf. edidit χρῆσθᾀτέρῳ in Arist. Pac. 253, rectius etiam Nub. 7. ὅτ' οὐδὲ κολάσαι ἔξεστί μοι τοὺς οἰκέτας, ut in plurimis codicibus exaratum inveniri testis est Brunckius, licet et ipse perperam scripserit κολάσαι ̓͂ξεστι. Tam γράφομαι 'γώ, quam γράφομ' ἐγὼ probum videtur Koenio ad Gregor. Corinth. p. 171, prout nempe

metri ratio postulet. Alterum hoc in tragicos certe cadere vix potest, ut apud quos rarissime elidatur verbum ante brevem vocalem; aliquanto saepius apud Aristophanem licentiam hanc ferendam esse supra vidimus. Cf. Blomf. ad Eurip. Iphig. Aul. 407, Matth. gr. gr. §. 45. Herm. Praefat. ad Eur. Bacch. p. 1459. Elmsl. ad Bacch. 1070; Brunck. ad Arist. Thesm. 217 et ad Aves, v. 959. Neque probari possunt, quae Schneiderus proposuit ἐγὼ ’’φρασα, μὴ ’’ξω, ὦ ’’νθρωπε, μὴ ’’χοιμι, similia, quum accentu intendere voluerit syllabam, quae non adest, eique absenti cenotaphium quasi, ut Göttlingius non illepide dicit in libello, quem de linguae graecae accentu edidit §. 44, 2, exstruendum curaverit. Cf. Buttm. gr. gr. §. 29, not. 6, et Wolf. l. l. p. 444, qui hanc orthographiam contra bonam logicam peccare censuit. Cf. Ephem. litt. Ien. 1818, n. 147. Licet enim statuere debeamus, μὴ ἔχοιμι per crasin pronunciatum fuisse μή’χοιμι, tamen, si vocabula separantur, immutatus particulae μὴ accentus servandus est, quum periti lectoris oculi bene calleant utriusque vocabuli accentum, atque de crasi moneat coronis. Neque tamen repugnaverim, si quis haec per synizesin, cuius usum iam Buttmannus, neque id iniuria, latius extendit, quam Schneiderus p. 34, exprimenda esse arbitretur. „Superest, ut moneam,“ pergit Schneiderus p. 35, „ne interpunctione quidem interposita deleri prodelisionem.“ Nullus omnino in talibus exemplis prodelisioni locus esse potest. Arist. Nub. 1354 ἐγὼ φράσω· ἐπειδὴ γὰρ — · scribendum cum Brunckio, optimum quemque codicem sequuto; Soph. Phil. 591 λέγω · ἐπὶ

τοῦτον — . Qui enim rem aliquam narraturus ita se iam incepturum esse profitetur, continuo quodam vocis tenore facile adiungit sequens vocabulum, ita ut, quod ad pronunciandi rationem attinet, crasis exinde oriri possit, licet scribendo non exprimatur. Minus apte eandem elisionem adhibuisse videtur Porso ad Eur. Hecub. 533, ubi locum tragici cuiusdam, quem attulit Schol. Venet. ad Il. ζ, 472, sic legendum proponit: Δέξαι· 'φοβήθη παῖς, quae maiore sententiarum discrimine dirempta continuo illo vocis tenore consociari nequeunt. V. Herm. praef. ad Eur. Bacch. p. 19; Reisig. Synt. p. 30. Quod Schneiderus p. 36 pro insolita elisione vendit, καὶ 'μάτευες, (v. Soph. Oed. T. 1052) ea quidem simplex crasis est, κἀμάτευες, Brunckio iam olim probata, quem v. ad Arist. Equit. 269, omnibusque posthac recentioribus editoribus. Similem in modum iam Marklandius apud Eur. Suppl. 766 recte restituerat κἀκάλυψε · — Longam de formis ἀνήρ, 'ἀνήρ et 'ὡνήρ disputationem instituit Schneiderus p. 46. sq., atque in refellenda crasi 'ἀνήρ, quae nunc iam ab omnibus fere viris doctis unice vera habetur, multum, sed frustra, laboravit. Contractio illa, qua litterae ο et α in ῳ coalescunt, Ionibus imprimis et Doribus convenit. V. Buttm. gr. gr. §. 29, 11, cum Add. et Corrigend. Struvii Quaest. de dial. Herod. Spec. III, p. 3, 11 et 12. Quae tamen crasis articuli ὁ et οἱ cum α sequente etiam Atticis tribuitur; atticam videlicet eam vocat Gregorius Cor. p. 171 Schaef., qui affert ὤ'νθρωπος, ὤ'ριστος; v. Koen. Neque raro ea legitur in codicibus veteribusque editionibus, unde in multas

recentiores transiit. Sed ratio, quam primus iniit Dawesius in Miscell. Critt. p. 123, 238, 263, ubi Atticos usos fuisse formis ἁνήρ, ἅνθρωπος, ἁγών, ἅρχων, αὑτός, aliis, docuit, multis ex causis probabilior videtur. Primum quidem propter apertam analogiam crasium τἀνδρός, τἀνδρί, τἀγαθοῦ, τἀγαθῷ, τἀνάφορον (Arist. Ran. 8.) τἀπόλλωνος, (ib. Av. 982), (cf. Seidler ad Eur. Iph. T. 676) quam etiam Schneiderus tacite concessit. In quibus crasibus α non mutatur quidem in aliam naturam, sed producitur tantum; id quod ad veram crasin statuendam sufficere vidimus, licet aliquanto saepius nova quaedam exeat aut vocalis littera aut diphthongus. V. Valcken. et Porson. ad Eur. Phoen. 896. Tum in codicibus ipsis passim leguntur ἁνήρ, αὑτός, similia, sed aliquanto saepius ἀνήρ, ἀγών, ἄνθρωπος, αὐτός; ubi vel metri ratio postulat longam vocalem, vel Atticorum loquendi usus articulum aegerrime desiderat, licet prorsus negari non possit, eum a tragicis in vocabulis quibusdam omissam fuisse, in primis consanguinitatem et affinitatem significantibus, (v. Schneider. p. 48; Porson. praef. ad Eur. Hecub. p. 40; et in Ind. Gr. s. v. πατήρ. Matth. gr. gr. §. 264, not. e. Schaefer. appar. ad Dem. p. 328; Wyttenb. ad Plat. Phaed. p. 257; Heindorf. ad Phaedr. p. 316; Brunck. ad Oed. Col. 1486, et ad Arist. Eccles. 367. Schaef. Melett. Crit. p. 44, 116; Wellauer. ad Aesch. Prom. 347; Meinek. ad. Menandr. p. 574; Schaef. ad Oed. Col. 1348 et ad Oed. Tyr. 630) aliisque nonnullis, quibus falso adnumeravit Schneiderus ἀπαντῶντες apud Arist. Nub. 431, ἀρχαί

ib. 1198; ἄνθρακες, Acharn. 348, ubi tam propter sensum et linguae usum, quam propter metri rationem articulus deesse debet. „Nec desunt exempla," pergit Schneiderus p. 48, „ipsius vocis ἀνήρ in obliquis casibus sine articulo positae." V. Soph. Trach. 45, 108, 150. Sed quum in tribus his locis ἀνήρ maritum significet, articulo carere potest; v. Herm. ad Soph. Phil. 40. Aequo iure vocabulum ἀνήρ apud Soph. Ai. 59, 221, 1135, quum positum sit pro simplice ἐκεῖνος, ut latine homo, articulo destitutum est, atque ἄνθρωπος et γυνή. Adde Soph. Phil. 1225. At non sine caussa idonea in Oed. Col. 32, ὡς ἁνὴρ ὅδε scripsisse videntur Hermannus, Elmsleius, Schaeferus, Dindorfius et Matthiaeus in ed. Weigel., quem cf. in gr. gr. §. 264, not. e, neque satis accurate Reisigius vulgatam ἀνὴρ ὅδε, ut sit eccum ipsum, defendere conatur Heindorfii, (quem v. ad Plat. Phaed. §. 108) nixus auctoritate. Hic vero duo exempla diversae prorsus naturae attulit, Arist. Plut. 653, Acharn. 428. Optimo iure primus Porso articulum addidit Eur. Phoen. 1670 ἄταφος ὅδ' ἁνήρ, quem sequuti sunt Matthiaeus et Bothius. Cf. Oed. Col. 636, Trach. 391, ubi nunc recte legitur ἁνήρ, quod hoc vocabulum apud tragicos quidem nunquam fere primam producit, nisi in genitivo ἄνερος, quo in iambicis, trochaicis et anapaesticis versibus nunquam utuntur. At vero in nuntiorum narrationibus (v. Bekk. Anecd. 1, p. 26) epicam vocabuli prosodiam sibi indulsit Aeschylus, primamque producit; v. Sept. c. Theb. 491, et Wellauer.; cf. Eumen. 727, 547. Sed in melicis primam syllabam sine dubio

produci potuisse, exempla docebunt haecce: Aesch. Suppl. 421, Eum. 306, ubi v. Wellauer., Pers. 640; Soph. Phil. 709, Oed. R. 869, et Lobeck. ad Soph. Ai. 1181. Neque tamen ideo probari potest, quod Valckenarius dixit ad Eur. Phoen. 1650 „pro lubitu primam in ἀνήρ corripiunt vel producunt.“ Cf. ibid. Porson.; Herm. ad Hymn. Hom. in Cerer. 381. Meinek. Quaest. Men. p. 38, et Matthaeium ad Soph. Phil. 212. Deinde Schneiderus „neque desunt, ait, exempla similium vocum productarum, v. c. ἀεί, Ἄρης, ἀΐω, ἀΐσσω.“ At vero tragici certe poetae, ubi duabus longis syllabis opus est, ionica forma αἰεί utuntur, ut Aesch. Pers. 181, Soph. Antig. 892, Electr. 298, 643, 916. Cf. Herm. in praef. ad Soph. Ai. p. 19, et in praef. ad Eur. Hecub. p. 21, qui etiam Piersonum, ad Moerid. p. 231, ancipitem esse primam syllabam voculae ἀεὶ dicentem, et Porsonem in praef. ad Hecub. p. 4 et 16 optime refutavit. V. Etym. Reg. Paris. MS. apud Koen. ad Gregor. p. 346, ubi v. Bastium et Schaeferum, — Buttm. Add. ad gr. gr. p. 392. Dindorf. Praefat. ad Soph. p. 57. Poppon. Prolegg. ad Thucyd. 1, p. 211. Osann. Syllog. Inscr. 1, p. 242; Heyn. ad Hom. Il. VI tom. p. 638; Lang. et Pinzger. ad Aesch. Pers. 148; Schneider. in Praef. ad Soph. Oed. Tyr. pag. 6. Elmsl. ad Soph. Oed. Tyr. p. 11. In nomine Ἄρης apud Atticos certe rarissime producitur prima syllaba. V. Passov. Lex., Wolf. Anal. I, P. II, p. 456, Meinek. Quaest. Men. p. 38. Verbum ἀΐω apud tragicos e metri ratione vel productam ad Homeri exemplum vel correptam habet primam syllabam. Exempla vide

apud Seidlerum ad Eur. Troad. 156. Verbum ἀΐσσω apud tragicos primam semper corripit, excepto loco qui est Eur. Troad. 157; cf. Porson. ad Eur. Hec. 31. „Sic servatur," pergit Schneiderus, „in innumerabilibus fere versibus vulgata, quam ab ipsis tragicis poetis profectam esse omnia indicant." Omnia, ait; at vero argumenta eius cognoscere velim, et graviora quidem illis, quae adhuc usque in medium protulit. Nam recte nunc quidem Soph. Ai. 1355 ὅδ' ἐχθρὸς 'ἀνήρ, ab Hermanno et ceteris restitutum est 'ἀνὴρ pro Brunckiana lectione ἀνὴρ ὅδ' ἐχθρός. Nam librorum lectio ὅδ' ἐχθρὸς ἀνὴρ sine articulo non ferendam esse vidit ille quidem, sed falsam loco medelam adhibuit. V. Wolf. Anall. 1, P. 2, p. 458 et ad Dem. Lept. p. 263. Fischer. ad Weller. 1, p. 322. Dawes Miscell. p. 301. Elmsl. ad Arist. Acharn. 1062. Neque in Eur. Orest. 851 restituenda est vulgata ἀτὰρ τίς ἀγών, ubi cum Porsone Matthiaeus et Bothius recte scripserunt 'ἀγών; cf. Soph. Electr. 1492, νῦν ἐστὶν 'ἀγών, ubi articulum iam ante Brunckium restituerat Valcken. in Diatr. p. 220, et Oed. Col. 1184 χὤπως μὲν 'ἀγὼν ἠρέθη, ubi v. Reisig. et Herm. (1150.) Eur. Phoen. 597 huc non pertinet. Nam legendum cum Grotio, Barnesio, Porsone et Matthiaeo μῆτερ, οὐ λόγων ἀγὼν ἔστ' —, quum vulgata οὐ λόγων ἔστ' ἀγὼν metrum corrumpat. Musgr. Both. et Elmsl. ad Heracl. 722 suaserunt οὐ λόγων ἔθ' 'ἀγών.. Sed praetulerim transpositionem illam, uno codice confirmatam, quum praesertim non de certo quodam et iam memorato certamine verborum sermo sit. V. Valcken. et Matth.

ad h. l.; Eur. Heracl. 722, ὡς ἐγγὺς ἁγών, ubi v. Elmsleium; Suppl. 776, Herm. ὧν δ' οὕνεχ' ἁγὼν ἦν, ubi v. Markl. et Matth.; Herc. fur. 1163, Ἥρας ὅδ' ἁγών, Matthiaeus edidit, cumque sequutus Bothius. Cf. Arist. Vesp. 534 σοὶ μέγας ἐστὶν ἁγὼν —, Dindorfus edendum curavit cum Elmsleio ad Eur. Heracl. l. l. Itaque invito Schneidero legendum est apud Soph. Ai. 99, τεθνᾶσιν ἅνδρες, cum Lobeckio, Schaefero, Hermanno, Dindorfio et Wundero, ut Electr. 1379 ἅνδρες αὐτίκα τελοῦσι τοὔργον, quoniam utroque loco de certis quibusdam viris agitur. Monk. ad Eur. Hipp. 1005. Brunck. Suppl. ad Arist. Lys. v. 152. Lobeck. ad Soph. Ai. v. 9. Wellauer. ad Choeph. 719, ad Prom. 347 et Pers. 45. Ind. ad Eur. Iph. A. ed. Markland. s. v. crasis, Herm. ad Soph. Phil. 40. — In universum memorandum est, vocabulum ἀνήρ, ubi virum sive hominem, non maritum significet, paucis, ut vidimus, locis Aeschyleis exceptis, nusquam prima longa inveniri in Senariis, nisi cum articulo coalescat; nusquam, ubi ea syllaba brevis sit, requiri articulum, atque in casibus obliquis, ubi de certo quodam viro sermo sit, articulum semper addi. Sed Schneiderus p. 50 tragicos omni atono articulo, litterae α per crasin mixto, abstinuisse ratus, aut elisione uti, aut ex epicorum usu prorsus depellere vult articulum, quem tamen praefixa littera τ, qua facilius cognosceretur, commisceri passos fuisse tragicos censet. At quomodo exinde, quod formae θοἰμάτιον, θοὔδωρ reperiantur, nunquam vero ἱἀτρός, ἱἀχή, ἱός, similia, (quod profecto non mirandum, quum non temere quisquam adhuc

cogitaverit de crasibus tam ridiculis fingendis), talia colligere potuerit Schneiderus, id quidem accuratius nobis explicet. Hoc tantum scimus, articulum nunquam colliquescere cum sequente ι et υ, praeterquam in θοἰμάτιον, θοὔδωρ, θαἰμάτια, θοὔδατος, e quibus formis anomalis non recte colligitur de ceteris. — Accedit Apollonii Dyscoli auctoritas, quem v. in Bekkeri Anecdd. 1, p. 495, 21, et Buttm. Add. ad gr. gr. p. 392, quae, nisi fallor, aliquanto maioris aestimanda est, quam Gregorii Corinthii, quem supra laudavimus. Haec vero antiqua et proba crasium scriptura quum ab altera illa, e Ionismo petita, paullatim oblitterata esset, librarii hanc ionicam, magis sollemnem, quam unicam fortasse noverant, inferre solebant, ubicunque articulum deesse non posse putabant. Neque silentio praetermittenda est Inscriptio Sigea, ubi legitur *ΗΑΙΣΟΠΟΣΚΑΙΗΑΔΕΛΦΟΙ*, i. e. ὁ Αἴσωπος καὶ οἱ ἀδελφοί, quam testem minime contemnendam censet Lobeckius ad Ai. 9. Neque aliter οἱ ἀγαθοί, αἱ ἀγαθαί, οἱ ἐμοί, similia, per crasin, nisi in aliam diversamque naturam, consociari potuisse, i. e. ἁ'γαθοί, (ita in Soph. Phil. 873 magno consensu nunc quidem ediderunt recentiores; Buttmannus scripsit ὡ'γαθοί, Schneiderus perperam οἱ 'γαθοί), ἀγαθαί, ὁὐμοί, verissime Reisigius monuit in Synt. Crit. p. 23: „Sunt enim articuli ὁ, ἡ, αἱ, οἱ procliticis annumerandi, (v. Göttling. de accentu p. 114.), neque propria sua vi possunt insequentis vocabuli initium, in quo nituntur, funditus absumere.“ Ceterum qui scribere volent, οἱ 'γαθοί, αἱ 'γαθαί, iidem scribere debebunt τοῦ 'νδρός, τῷ 'νδρί contra

omnium librorum fidem. Feminini generis articulum non minus vocabulum, quocum coniunctus est, in aliam naturam convertisse verisimile fit. Nam ut ex τῷ ἐμῷ factum est τὠμῷ et τἄνδρί ex τῷ ἀνδρί, ita ex τῇ ἐμῇ et τῇ ἀρετῇ orta sunt τὴμῇ, τἀρετῇ. Recte in Arist. Plut. 330 τὴκκλησίᾳ, i. e. τῇ ἐκκλ. scripsit Dindorfius, et cf. Matth. ad Eur. Ion. 1126, ubi nunc recte legitur ἀρχαὶ ʽἀπιχώριοι. De formis τἀγαθῇ Arist. Nub. 61, τἀγορᾷ, Acharn. 838 et Equit. 1258, ut recte nunc edidit Dindorfius, quas praebent etiam aliquot libri MSS. pro vulgatis, a Brunckio receptis τῇ ʼγορᾷ, v. Reisigii Synt. p. 28. Sic in omnibus fere editionibus recentioribus scribitur ʽἀρετή, ut Soph. Ai. 1336, ubi v. Herm. et Eur. Suppl. 596, ubi cf. Matth.; ʽἀλήθεια in Eur. Phoen. 936 Pors. et Soph. Ant. 1195, quae in plurimis codicibus atque in editionibus Aldinis per Synecphonesin expressa sunt, quia de crasium illarum tam pronunciatione quam scriptura dubii haesisse videntur librarii. V. Matth. ad Eur. Phoen. 922, Brunck. ad Soph. Phil. 782, Elmsleium ad Eur. Heracl. 460, et ad Med. 56. Thiersch. gr. gr. §. 243, 16 et 27, ed. tert. Herm. ad Soph. Phil. 921; ad Oed. Col. 498. Itaque longe veri est simillimum, lectiones illas ἀνήρ, ἀγών, ἀγαθός, alias, corruptas fuisse ex veris ʽἀνήρ, etc., quippe quae omnino multo facilius depravari potuerint, in ἀνήρ, ἀγών etc., quam si ὡὐτός, ὡ̓γών, ὡ̓γαθός genuinae ac verae crasium formae fuissent. Quamobrem non impugnandum erat Porsonis praeceptum: articulus cum α brevi semper in α longum coalescit. — Iamque

audiamus Schneiderum p. 47, quamvis invito animo, fatentem, crasin illam ἁ'νήρ prorsus improbari non posse. Ne tamen adversariis suis quidquam concedat, satis inepte addit, „quosdam fortasse poetas antiquissimos, quorum opera interierint, ita loquutos fuisse." Peropportune scilicet Schneidero interierunt illa opera. Postea vero, parum sibi constans, ablegat Dawesii sectatores ad plebeios, quibus crases illas ʽἀνήρ, ʽἀγών etc. proprias assignandas esse edicit. Attulit enim caussam parum probabilem, quod crasi ʽἀνήρ simul inesse possit, ὁ, ὃ, ἃ — ἀνήρ, qui ambiguitatis timor quanti habendus sit, iam Reisigius docuit in Synt. p. 23. Finem tandem longae chartae imponit p. 51 hisce verbis: „Unde plebeiam dicendi rationem et in Inscriptione Sigea, et in Apollonii verbis contineri tibi persuadeas." Nullo modo equidem mihi persuaderi patiar, Apollonium, omnium grammaticorum doctissimum, in praeceptis suis tradidisse tales linguae formas, quae tantummodo in ore tunicati popelli versarentur; quamquam in Inscriptionibus, quas exarabant operae imperiti, eiusmodi errores passim obviam fieri non ignoro. Neque illa quidem ad Dawesii regulam refutandam sufficere videntur, quae Wolfius acute disputavit in Anall. I, P. II, p. 458.* Consulit enim peritos de scribendis vocabulis, quae iam asperum spiritum gerant, ut ἅρπαξ, ἕπτα, si cui forte in Thebana fabula Aeschyli hoc dicere placuit; „in quibus profecto, inquit, spiritus spiritui insidens facetum fuisset negotium!" — Fuisset sane. Sed in talibus exemplis, quae nulla adhuc invenimus, sufficiet unum spiritus signum, sicuti lenis spiritus atque

coronis *uni* syllabae non temere imponuntur. V. Seidleri Exc. ad. Eur. Troad, p. 148. Pugnavit etiam egregie pro nostra sententia Matthiaeus in Add. ad Eur. Hippol. p. 83; cf. eund. ad Eur. Ion. 1126 et ad Bacch. 1219. Iam transeamus ad crasin *αὑτός*, i. e. *ὁ αὐτός*, *idem*, cuius loco ubique *αὐτός* restituendum esse censet Schneiderus, tragicos in hac voce epicis sese accinxisse ratus, apud quos usus ille satis constet. V. Schaeferi Melett. p. 65; Matth. gr. gr. § 472, 10. Wolf. ad Dem. Lept. p. 272, Porson. ad. Eur. Hecub. 295. Perlustremus singula exempla: 1) Soph. Electr. 917 — *τοῖς αὐτοῖσί τοι οὐχ αὑτὸς αἰεὶ δαιμόνων παραστατεῖ. Αὑτός* nunc quidem tam a ceteris omnibus editoribus probatur, quam ab Hermanno, quem v. ad Antig. 920 ed. II. „Nam hic, inquit, subiectum requirimus; atqui *αὐτὸς δαιμόνων* nihil est, quia deest nomen subiecti;" cf. Buttm. ad Soph. Phil. 119. Nec verisimile est, poetam *αὐτός* scripsisse sine articulo, quum modo dixerit cum articulo *τοῖς αὐτοῖσι.* Neque vero lenis spiritus commutatio in asperum inauditi quidquam habet, quoniam saepe etiam hunc in illum mutare debuerunt editores, ut apud Eur. Hecub. 493, ubi v. Matth. et Schaef. in ed. Porson. Cf. Elmsl. ad Eur. Med. p. 221. — Schaeferus: „millies, inquit, haec confusa sunt. Utrum quoque loco ponendum sit, (*αὐτός* an *αὑτός*), non librorum auctoritas, sed tenor ostendit orationis." — II) Soph. Phil. 119 *σοφός τ' ἂν αὐτὸς κἀγαθὸς κεκλῇ' ἅμα*, ubi tamen *αὐτός* esse potest *ipse*, quum praesertim notio pronominis *idem* iam insit in par-

ticulis τε — καὶ, eodem fere modo, quo v. 500 εἴς σὲ γὰρ πομπόν τε κἄντὸν ἄγγελον ἥκω. V. Buttm. et Matthaeium ad h. l. Itaque αὐτός omnes recentiores servaverunt, praeter Bothium et editorem Weigelianae. Postquam enim exposuit Ulysses Neoptolemo magnam utilitatem, quam graecus exercitus capturus esset ex insidiis illis, Philoctetae parandis, iam nunc transit ad duo insignia praemia, quae Neoptolemus ipse exinde ablaturus sit, et „tu quidem, inquit, tibi ipsi gloriam duplicem, prudentis simul et fortis viri, parabis.“ Namque Ulysses Neoptolemum vereri putat, ne aliorum tantummodo, non sua gratia tale facinus suscepturus sit, ideoque tergiversantem ad captandam gloriam exhortatur. Quam si quis probaverit meam qualemcumque interpretationem, iam cum Buttmanuo αὐτός prorsus otiosum non vocabit. III) Ibid. 521 τότ' οὐκ ἔθ' ἀυτός τοῖς λόγοις τούτοις φανῇς. Ubi Martino teste duo MSS. libri, Parisiensis et Harleianus, praebent ὡὑτός, omnesque cum iis edd. vett., quoniam librarii articulum aegre desiderabant. Ita legimus apud Thucyd. III, 38, ἐγὼ μὲν οὖν ὁ αὐτὸς εἰμὶ τῇ γνώμῃ· cf. libr. 1, 140. Oed. Tyr. 557, καὶ νῦν ἔθ' ἀυτὸς εἰμί, ubi duo codices habent ὡὑτὸς et adscripta est glossa ὁ αὐτός; v. Elmsl. et Erfurdt. — Eur. Phoen. 927, ubi v. Valckenaer. Herc. fur. 911, ubi nunc rectius scribitur ἀυτός. Nam αὐτός, i. e. ipse, linguae usui repugnat, licet germanice commode dicere possimus: „er war nicht mehr er selbst.“ Neque vero Latini dicunt „hic homo non amplius ipse est, sed idem“. Apud Oed. Tyr. 458 φανήσεται δὲ παισὶ τοῖς αὑτοῦ

ξυνὼν ἀδελφὸς αὐτὸς καὶ πατήρ, commode verti potest „ipse erit pater et frater filiorum suorum.“ V. Elmsl. — Codex Laudianus h. l. praebet *ἀὐτός*, Martino teste. IV) Soph. Phil. 1330, — *ὡς ἂν αὐτὸς ἥλιος ταύτῃ μὲν αἴρῃ, τῇδε δ' αὖ|δύνῃ πάλιν*, ubi *αὐτός*, sol ipse, parum quadrat. Nam sensus est hic, „quam diu hic idem sol manebit, qui hac parte coeli oritur, illa occidit.“ Minus recte Herm. ad Soph. Antig. l. l. „sin *ἀὐτὸς* scribis, inquit, hoc dicetur quasi de aliquo ex pluribus solibus.“ Neque ita necessaria videtur Brunckii coniectura *οὗτος*, recepta ab Hermanno, Schaefero, Wundero; Doederlini faciliorem mutationem *αὐτός*, quam proposuit in Specim. p. 54, iure praeferendam censuit Matth. in nov. ed. Weigel. V) Antig. 929 — *ἔτι τῶν αὐτῶν ἀνέμων αὐταὶ ψυχῆς ῥιπαὶ τήνδε γ' ἔχουσιν*, ubi Herm. in libro de emend. rat. gr. gr. p. 50, et Erfurdt. in ed. mai. *ἀὐταί* scripserant. Sed postea Herm. in editione restituit *αὐταί*, vertens: „earundem aurarum flabra ipsa hanc nunc, ut ante, tenent.“ Itaque omnes recentiores in vulgata *αὐταὶ* nunc quidem recte acquiescunt. In edit. Weigel. nunc e Brunckii coniectura legitur: *αἱ τῶν αὐτῶν αὐταὶ ψυχῆς ῥιπαὶ τήνδ' ἔτ' ἔχουσιν*, quod Schaeferus etiam recipit in Tauchnitzianam. — Matthiaeus, qui in Add. ad Eur. Hipp. 183, Hermanni sententiam minus probaverat, nunc iam in editione sua Weigeliana vulgatam recipiendam duxit. Et profecto defendi ea poterit iis ipsis, quae l. l. attulit: „qui *αὐτός*, ipse dicit, is alium, ab eo diversum, animo quasi ei opponit, ut sit ipse, non alius.“ Locus enim noster

sic fere explicandus est: „eorundem ventorum flabra ipsa, αὐταί, (non aliorum quorundam et diversorum ventorum flabra; sed semper illa ipsa, quae adhuc usque eam tenuerunt) etiamnum eam tenent.“ Neque enim, quod dicit „ὁ αὐτός usurpari, si quis uni diversa et inter se contraria, vel certe raro coniuncta tribuat“, ullo modo in hunc locum cadere potest. VI) Eur. Alcest 144 Monk. καὶ πῶς ἂν αὐτὸς κατθάνοι τε καὶ βλέποι; ubi Aldina cum plurimis aliis exhibet ὡὑτός. V. Buttm. ad Soph. Phil. 119; cf. Eur. Hec. 292, ubi v. Porson. et Mathiaeum; Med. 247, ubi v. Elmsl; Hippol. 998, ubi v. Monk.; Iphig. Aul. 354, ibique Markl.; Iphig. Taur. 712, ubi cf. Matth. et Both. et cf. Troad. 1017, Helen. 126 et 514 ed. Both.; Troad. 1274 Seidler. Adde Elmsl. ad Eur. Bacch. 1265. Dawesii regulam, Valckenario comprobatam ad Eur. Phoen. 927, αὐτός non nisi cum articulo coniunctum, idem significare, in dubium vocarunt in primis Buttm. ad Soph. Phil. 119 et Herm. ad Antig. 920. Quanti in orthographicis aestimanda sit codicum auctoritas, qua praecipue nititur Buttmannus, pluribus exposuit Matthiaeus in Add. ad Eur. Hippol. l. l., qui opportune monet, in genere neutro casibusque obliquis, ubi idem dicendum sit, nunquam scriptum reperiri αὐτό, αὐτῇ, αὐτά, sed semper et ubique articulo addito ταὐτό et cetera. Num igitur in casibus obliquis articulum necessarium fuisse, in nominativo abesse potuisse dicamus? Itaque minime opus esse ad Hermanni rationem confugere, ad Antig. propositam: „ubi is, quem eundem dicimus, subiectum sit orationis, ibi ὁ αὐτός

sive αὑτός poni, ubi praedicatum sit, **eundem aliquem** esse, ibi recte αὐτός sine articulo usurpari," recte mihi videtur censuisse Matthiaeus in gr. gr. p. 273; certe argumenta eius, quibus contra Hermannum pugnat, dignissima sunt, quae accuratius perpendantur. Saepe αὑτός scribendum est, licet praedicati locum obtineat, ut Oed. Tyr. 557. Eur. Phoen. 927; cf. Electr. 376 et Both. ad Eur. Suppl. 853. Accedit, quod nunc iam certissime crasis αὑτός, non solum ὡὑτός in codicibus etiam MSS. passim reperitur; v. Bekkeri Animadvers. ad Demosth. p. 11, not. e; p. 299, not. b; ad Platon. I, 1, p. 52, 1. Quibus testimoniis addenda sunt, quae Bremius hac de re memoravit in Censura quadam, quae recepta est in Jahnii Annal. Philol. 1829, tom. I, p. 171. Scribendum esse enim ἅνήρ, ἁδελφός, ἅνθρωπος, similia, ubicunque de certis quibusdam personis agatur, iam negare non audet, commotus videlicet optimorum quorundam et vetustissimorum codicum auctoritate, qui passim exhibeant **spiritum asperum**. Quod vero ad totam hanc quaestionem attinet, iam lectoribus aequis examinandam proponere liceat sententiam nostram. Quamvis enim certa quaedam et stabilis orthographia in illis crasibus scribendis necessaria sit, tamen ne ipsos quidem Atticos semper et ubique eandem rationem sequutos fuisse censuerim. Etenim litteras α et ο sive ω coalitas sonuisse medium quoddam, et ex utraque quasi compositum, uti nostrates fere Sueci å, Helvetii a, et gentes Slavicae stirpis o pronunciant, ex ipsius rei natura haud inepte colligitur. V. quae supra attulimus p. 51.

Nonne etiam per analogiam quandam in rem nostram convertere possumus formas genitivorum pluralis numeri ἀων, ων, ᾶν? Quae nonnisi lingua magis exculta paullatim in proprium cuiuspiam dialecti usum transiisse et apud singulas Graeciae gentes invaluisse videntur. Antea enim, quum pronunciandi ratio ususque magis esset vagus, necdum certo quodam discrimine secretae neque regulis constitutae essent cuiusque dialecti formae, tales res orthographicae certis limitibus, quas posteriori aetate designabant grammatici ὀψιγενεῖς, circumscribi non poterant. Quid mirum, si in constituenda ratione, qua duarum earumque cognatarum vocalium litterarum coalitionem exprimerent, incerti aliquid passim restaret, quum praesertim omnia haec plerumque soli aurium iudicio permitterentur, aliquanto rarius scripta legentium oculis subiicerentur? Verum enimvero ipsa illa genitivi formarum varietas, quae per Graeciae gentes simul audiebantur atque una eademque aetate, demonstrat cognationem artissimam vocalium α, ο et ω. Sicut genitivi forma, quae in ων exit, ab Atticis potissimum usurpata est, atque in proprium eorum usum cessit, ita crases ἁνήρ, αὑτός, sim. apud eosdem maxime praevaluerunt, ionicae contra formae ὡνήρ, ὡὐτός, de quibus v. prae ceteris Struvii Quaest. Herod. p. 12, non prorsus quidem interierunt, sed aliquanto rarius — si non audiebantur — certe litteris exprimebantur. Cf. Buttm. Add. ad gr. gr. p. 392; Boeckh. Corpus Inscr. I, p. 279. Iam vero, ut ad summam disputationis redeamus, animo comprehendenda sunt omnia illa; quae de variis crasis generibus formisque eius singulis hucusque in medium protulimus. C r a s i s e s t d u o r u m v o c a b u l o r u m, a r t i s s i m e p l e-

rumque cohaerentium, coalitio talis, qua syllabae coalitae in novam atque diversam naturam transeant, ac si breves fuerant syllabae, iam in unam, eamque semper productam coeant, ita tamen, ut, quod ad accentus rationem attinet, duo vocabula coalita pro uno habeantur. Qua probata definitione in singulis crasium, vere sic dictarum, formis scribendis firmum habemus ac stabile fundamentum, atque scribendi ratio ab arbitrariis editorum et grammaticorum nostratium mutationibus vagaque licentia vindicatur, quam quo diligentius in hanc materiem inquisiveris, eo accuratius cognoveris. Miram libri grammatici, quibus hodie utimur, in exarandis illis formis praebent diversitatem; mira etiam est licentia, qua inter se confunduntur. Ceterum definitioni illi quae repugnare videri possint exempla, ut ἡὐγένεια, τοὔλυμπίου, similia, (in iis enim altera syllaba iam ante crasin natura sua longa erat, neque crasi adhibita ullo modo mutari poterat) rectius tam propter analogiam ceterarum crasium articuli, quam propter prodelisionem (ἡ 'υγένεια, τοῦ 'λυμπίου) incertissimam, et a Buttmanno, ut supra vidimus, non sine causa prorsus rejectam, in crasium numerum referenda, aut, sin codices plurimos sequi probabilius videbitur, per synizesin scribenda sunt. Neque id ignoramus, veteres grammaticos latius extendisse crasis fines, ut qui etiam contractionem casuum, ut τείχεα, τείχη, σέο, σεῦ, σοῦ, βελτίονα, βελτίω, illo nomine communi comprehenderint. Nihil tamen omnino utilitatis exinde redundat discentibus, sed res ideo difficilior

redditur, quod fines crasis, elisionis atque contractionis, quibus apte secretis constitutisque omnis tollitur dubitatio, praeter necessitatem conturbantur. Cf. Excerpt. e Cod. Paris. post Gregor. Cor. p. 678 et 679, ed. Schaefer. Dracon. Straton. p. 157; Etym. M. p. 412, 47; Buttm. gr. gr. ampl. 1, p. 113; Matth. gr. gr. §. 42, not. Thiersch. gr. gr. §. 38. Quibus quaestionibus commode subiici possunt nonnulla de Tragicorum augmenti omittendi licentia, ut quam elisione aut crasi adhibita excusare (v. Reisig. Commentt. in Oed. Col. 1488,) quidam viri docti voluerunt. A plerisque nunc quidem conceditur augmenti omissio, sed variis ex caussis atque rationibus derivatur. V. imprimis Herm. praef. ad Eur. Bacch., ubi ea copiosissime atque acutissime defenditur. Exempla nonnulla diligentius perpendere haud alienum erit. Primum quidem illa absolvamus, quae ex omnium fere interpretum consensu corruptionis indicia prae se ferunt, ut Aesch. Pers. 304; *Ἀρκτεὺς, Ἀδεύης καὶ Φερεσσέυης τρίτος, Φαρνοῦχος, οἵδε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον.* Qui versus pro antecedentibus, in quibus ducum mortes praeclare describuntur, valde languidus, e glossatoris docti cuiusdam calamo ortus esse videtur, quum praesertim neque per se, recte monente Wellauero, ferendum sit nomen proprium *Φαρνοῦχος*, sine copula ceteris additum, neque omnino addi potuerit propter illa *καὶ Φερεσσέυης τρίτος*, ut e quibus nomina omnia iam esse enumerata appareat. In memoriam mihi redit locus Sophocleus simillimus in Oed. Col. 7. Porsonis coniecturam *οἵδε ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς* ut male sonantem repudiavit Herm. in praef. ad. Bacch.

p. 22. Frustra huic loco restituendo operam navarunt interpretes, quorum commenta collecta reperies apud Wellauerum. Eur. Hecub. 580, τοιάδ' ἀμφὶ σῆς λέγον παιδὸς θανούσης, ubi Heathii emendatio λέγω hodie ab omnibus comprobatur. V. Herm. et Porson. Restitui possit etiam λέγων e duobus codicibus; v. Reisig. Commentt. in Oed. Col. p. 377. — Orest. 499 — αὐτὸς κακίων γένετο μητέρα κτανών, ubi tam propter augmentum, quam metri rationem Porso vocabula transposuit: μητέρ' ἐγένετο κτανών. Reisigius l. l. p. 376 praefert γέγονε μητέρα κτανών, quum propter vetusta litterarum compendia γέγονε facillime transire potuerit in γένετο. — Eur. Alcest. 851 — νῦν δεῖξον, οἷον παῖδά σ' ἡ Τιρυνθία 'Ηλεκτρύωνος γείνατ' 'Αλκμήνη Διΐ. Ubi prae ceteris placet Blomfieldii coniectura, uno libro MS. firmata, quam commemoravit Monkius, 'Ηλεκτρυόνος ἐγείνατ', quum utraque exstet genitivi forma monente Schaefero ad Apollon. Rhod. II, p. 57. Recepit eam nunc etiam Hermannus in Monkii edit. nov., postquam Wüstemannus γείνατ' perperam revocaverat. — Soph. Trach. 767. ἱδρὼς ἀνῄει χρωτὶ, καὶ προσπτύσσετο πλευραῖσιν ἀρτίκολλος — χιτών. Omnes libri προσπτύσσετο, quod tuetur Herm. in Elem. d. m. p. 121. Erfurdtius e coniectura edidit προσπτύσσεται, ut iam antea voluerant Musgravius et Porso ad Eur. Med. 1138, probantibus Heindorfio ad Plat. Phaed. p. 124, qui diversorum temporum coniunctorum exempla attulit, Elmsleio ad Soph. Oed. Col. 1605 et Matthiaeo in ed. Weigel. — Reisigius etiam in Coniectan. p. 82

optime defendit προσπτύσσεται, neque nunc iam intercedit Hermannus, quem v. l. l. p. 23. — Eur. Alcest. 181 — πᾶν δὲ δέμνιον ὀφθαλμοτέγκτῳ δεύετο πλημμυρίδι. Porsonis emendationem δεύεται, (v. ad Med. 1138), duobus codicibus Florentt. confirmatam, optimo iure receperunt Matthiaeus atque Monkius, non repugnante Hermanno l. l. p. 23. — Soph. Phil. 371, ὁ δ' εἶπ' Ὀδυσσεὺς, πλησίον γὰρ ὢν κύρει. Porso ad Med. l. l. κυρεῖ. Sed recte iam Brunckius, praesens tempus pro praeterito h. l. insolentius adhibitum esse ratus, eleganter correxit ἦν κυρῶν, quod probaverunt recentiores; v. Herm. et Buttm. ad h. l. Nihili est Scholiastae commentum, quo propter ambiguitatem quandam ex industria quaesitam κυρεῖ legendum esse fingit. Cf. Schaefer. et Elmsl. ad Eur. Med. 1110. Fortasse veram lectionem ἦν κυρῶν librarius explicavit adscripto ἐκύρει, eoque ansam praebuit alii ὢν adiiciendi, quae tertius quidam versui quoquo modo aptans ὢν κύρει scripsit, parum sollicitus de omisso augmento. Cf. Herm. l. l. p. 13. Simili ratione in Soph. Trach. 786 — με προσβλέψας κάλει restituendum est καλεῖ propter vividam narrationis indolem. Cf. Eur. Bacch. 720, ibique Herm. Elmsl. et Matth. et Oed. Tyr. 1245. — Huc pertinent duo, quae sola exstant, neglecti augmenti temporalis exempla; Soph. Ant. 400 ταύτην δ' ἴδον θάπτουσαν. Brunckii facillimam emendationem ἰδὼν omnes recentiores merito receperunt. Nusquam enim in trimetris iambicis ἴδον legitur pro εἶδον. — Eur. Iphig. Taur. 53. κἀγὼ τέχνην τήνδ' — τιμῶσ' ὕδραινον αὐτόν. Quo loco sine haesitatione le-

gendum est ὑδραίνειν cum Erfurdtio ad Ai. 679, Musgravio, Porsone et Matthiaeo; cf. Reisig. Coniectan. p. 83, quum etiam antecedentia per infinitivos relata sint. Operae pretium non videbitur addidisse Eur. Phoen. 1243 ἐκ τάξεων ὄρουσε, quod post Aldinam omnes fere editiones praebent, sed neglecta optimorum quorundam librorum auctoritate. Orti videntur eiusmodi errores e scribendi genere illius aetatis, qua ω nondum usu receptum esset. V. Valcken. — Aesch. Prom. 235 ἐγὼ δ' ἐτόλμησ'· ἐξερυσάμην βροτοὺς, ubi Reisigius l. l. nonnullorum codicum lectionem ἐξελυσάμην praefert, neque id iniuria, puto, quum etiam alterum verbum ἐτόλμησα augmento instructum sit. Wellauerus in eo offendit, quod non scriptum sit ἐξερρυσάμην a verbo ἐκρύομαι, quod tamen alibi nondum reperimus. Aliter res habet in Aesch. Pers. 753, φρένες γὰρ αὐτοῦ θυμὸν οἰακοστρόφουν, quia hoc verbum cum aliis quibusdam, cum οι incipientibus, augeri non solebat, Grammatico teste in Etym. M. p. 617, 45. Cf. Reisig. Commentt. in Oed. Col. p. 377; Wellauer. ad Aesch. Suppl. 404. Matth. et Herm. ad Eur. Bacch. 32, Elmsl. ib. v. 686, Wellauer. ad Aesch. Pers. 753, Lobeck. ad Phryn. p. 153. Porro excipienda sunt verba χρῆν, quod non rarius apud scenicos poetas legitur, quam ἔχρην, ἄνωγα, quod tantum in plusquamperfecto tempore ab Atticis augetur; Oed. Col. 1594, καθεζόμην; (v. Herm. praef. ad Eur. Hecub. p. 58; Porson. ibid. p. 19, et Wellauer. ad Aesch. Prom. 229), καθήμην, καθεῦδον, quibus tragici poetae augmentum non proponunt; v. Oed. Col.

1593, Trach. 904, Eur. Phoen. 75, Heracl. 33, Elmsl., Soph. Ant. 407. Illa etiam exempla excludenda censet Elmsleius (quem v. ad Eur. Bacch. 1321) ab hac disputatione, in quibus per crasin sublatum sit augmentum, ut apud Aesch. Pers. 302 *νικώμενοι 'κύρισσον;* 482, *ἔνθα δὴ πλεῖστοι 'θάνον·* Soph. Ai. 308 *παίσας κάρα 'θώϋξεν,* et 1304 *δώρημ' ἐκείνῳ 'δῶκεν Ἀλκμήνης γόνος.* Oed. Col. 1602 et 1608, Trach. 381, 772, ut 905, Phil. 360, Aesch. Pers. 193 Blomf. In quibus crasin veri nominis statuendam esse, nullo modo mihi persuaderi patiar. Crasin enim, quae, e studio quodam commode atque celeriter pronunciandi exorta, nusquam fere nisi in articulo tam praepositivo quam postpositivō atque particula *καί* reperitur, exceptis duntaxat quibusdam loquendi formulis, usu vulgari tritis, ut *ἐγᾦμαι, ἐγᾦδα,* similibus, crasin, inquam, nimis videtur extendisse Elmsleius, ceterique augmenti defensores, neque talem usum eius aliter defendere possunt, quam ex illis ipsis exemplis, in quibus dubium semper manebit, licitumne fuerit adhibere crasin, nec ne. Neque vero ipsius crasis natura et indoles talem usum permittit, quippe qua adhibita duo vocabula in unum, idque diversum, coalescere debere supra vidimus, neque hoc mihi satis perspicuum est, quamobrem viri docti, quum de crasi loquantur, ista exempla non tamen, uti oportebat, coronide addita, in unum vocabulum coagmentanda curaverint, sed solo apostropho adiecto merae elisionis speciem prae se ferre passi sint. Nam si veras fingere voluissent crases, monstra inaudita prodirent, ut *νικωμενοὐκύρισσον — πλεῖστοὐθάνον — ἐκεί-*

νώδωκεν, similia, omni analogiae reluctantia. Cf. Matth. gr. gr. p. 223, not. n) ed. II. Neque tamen ego vehementer repugnaverim, si quis in primo ictu tertiae iambici versus dipodiae, si prius vocabulum monosyllabum accentu intentum est, veram elisionem statuat, ut Soph. Ai. 936. μὴ 'πόδουν, Oed. R. 426. μὴ 'κάλεις. Quae minus suavis est, si aut e pluribus syllabis prius vocabulum constat, aut monosyllabum quidem, sed encliticum est, ut Aesch. Sept. 590 Well. παγκοίνῳ 'δάμη, Soph. Ai. 588 οἷον 'τράφης; Oed. Tyr. 844 ἐγὼ 'κτανον. Sic in recentioribus editionibus ubique scriptum reperimus, neque omnino in plurimis ulla augmenti omittendi necessitas subesse videtur. Neque enim crasin in omnibus his inesse persuasit mihi Hermann. in praef. ad. Eur. Bacch. p. 14. Aeque dubium est, an iure eam elisionem Elmsleius ad Bacch. 1132 ad augmentum verbi in primo pede trimetri, longa vocali aut diphthongo in priore versu antecedente, transferre conatus sit; dubitat ipse Hermannus l. l. p. 18. Cf. Matth. gr. gr. p. 113. not. X. — Prima classis, quam constituit Elmsleius, ea complectitur exempla, in quibus augmentum sine versus detrimento addi possit. Mirum tamen videri debet, unde factum sit, ut librarii ad unum omnes in illis augmentum omiserint, quum in quatuor aliis locis addiderint: Soph. Phil. 544, Eur. Iphig. Aul. 49, Bacch. 1288, Herc. fur. 458. Id quod Hermannus l. l. p. 54 ex ea regula perspicuum fecit, qua verbum fortius, in quo augmenti accessio anapaestum efficit, in principio versus positum, addi augmentum postulet. Quod praeceptum omnino cadit in quatuor

illa exempla, quae in quadringentorum fere versuum, anapaesto incipientium, multitudine sola sunt, in quibus augmentum eum pedem faciat, atque facere debeat, quum sine illo valde debilia atque omni nervo destituta essent eorum initia. Sed in verbis minus fortibus, quae non essent voce erigenda, sedulo vitatus fuisse videtur in primo pede anapaestus, qui ex augmenti accessione oriretur. V. Herm. l. l. p. 19, 46; in Elem. d. m. p. 121; Schneider. in praefat. ad Soph. Ai. p. 8. Verumtamen etiam fortiora verba, in quibus augmenti accessio non facit anapaestum, in principio versuum cum vi quadam posita, carere possunt augmento, ut in iis locis, quae Herm. l. l. p. 32 egregie pertractavit; v. Eur. Bacch. 1076, Soph. Oed. Col. 1604, Aesch. Pers. 413, 504. In universum omnis augmenti in primo pede usus sola numerosae orationis observatione sedula regi videtur. — Ceterum omnia fere, quae attulimus, eiusmodi sunt, ut non temere in alios tragoediarum locos cadant, quam in longiores, nuntiorum imprimis, narrationes, (v. Herm. l. l. p. 51) quae plurimae leguntur in Aeschyli Persis, Sophoclis Oedipo Coloneo atque Euripidis Bacchis. Quamobrem Seidleri observatio illa omnino habet, quo nitatur; quae quomodo intelligenda sit, nunc demum Hermannus recte ostendit. Reisigii sententia, de omissione augmenti prolata, non ubique sufficit. Nam permulta graviora verba instructa sunt augmento, atque alia, sine vi pronuncianda, augmento carentia versum incipiunt. De quibus omnibus quum vix quisquam doctius atque accuratius adhuc disputaverit, quam Hermannus, quae ille exposuit, iam aliis verbis iterare nolumus. — Cf.

Markl. ad Eur. Suppl. 728; Brunck. ad Eur. Andr 955 et Soph. Oed. Col. 1624; Porson. Praef. ad Eur. Hec. p. 5 et 17, et ad vv. 578, 1176, ad Orest. 499, Phoen. 1250, 1418; Herm. Elem. d. m. p. 52 et 121 et ad Soph. Ai. 301, ad Oed. Col. 1624, praef. ad Eur. Hec. p. 32; Reisig. Coniectt. in Arist. p. 78 et Commentt. crit. ad Soph. Oed. Col. 1499; Monk. ad Eur. Alcest. 599; Wellauer. ad Aesch. Pers. 302, Matthaeium ad Soph. Phil. 359; Schneider. praefat. ad Soph. Ai. p. 6 - 11; Matth. ad Eur. Bacch. 723 et in gr. gr. ampl. §. 160, not.; Fischer. ad Welleri gr. gr. II, p. 312; Buttm. gr. gr. ampl. §. 83, not. 9. De epicorum usu omittendi augmenti v. Thiersch. gr. gr. §. 243, 27, not. 2, ed. tert. Koen. ad Greg. Cor. p. 406; Heyn. Observ. ad Il. tom. 8, p. 226. Schneiderus optime disseruit pag. 54 - 57 de synizesi, quam arbitrario quidem neque tamen prorsus improbabili loquendi usu a synecphonesi separare voluit, quod discrimen adhuc usque viris doctis non satis comprobavisse videtur; cf. tamen Hemsterh. Ind. ad Arist. Plut. s. v. synizesis, et praeter auctores a Schneidero laudatos legas Voss. ad Hymn. in Cerer. v. 253, Bentl. ad Arist. Ran. 1283, Porson. ad Eur. Phoen. 1651; Herm. ad Eur. Bacch. 991, ad Soph. Ant. 1132, ad Phil. 4, ad Oed. Col. 1194; ad Oed. R. 640; praef. ad Eur. Bacch. p. 19; Reisig. Synt. crit. p. 30; Wunder. Adverss. in Philoct. p. 37; Monk. ad Eur. Hipp. 1148; Meinek. praef. ad Menandr. p. XVIII et p. 565; Wellauer. Commentt. Aeschyl. p. 26 et in Indice ad Aesch. Trag. s. v. synizesis; Erfurt. ad Soph. Antig. 1018; Matth. ad Eur. Alc. 45 et

in gr. gr. ampl. 1, p. 126 cum Add. Buttm. gr. gr. §. 28, not. 13 et 14 cum Add. p. 390; Thiersch. gr. gr. §. 243, 14; (pag. 423 ed. tert.) Göttling. de accent. §. 44, II; Merleker. Regul. praecip. de accent. gr. §. 85 cum nota 58.

De secunda persona Passivi et Medii, quae in ει et η exit.

Quae de secunda Passivi et Medii persona, apud tragicos in η terminanda, acriter disputavit Schneiderus in Quaestt. Critt. de trag. dial. p. 2-5, confirmantur Choerobosci grammatici, quod eum latuerat, testimonio, quod frustra tentavisse videtur Reisigius in praef. ad Commentt. in Oed. Col. p. 25. Exstat illud in Bekkeri Anecdd. p. 1290, ubi formae ει origine usuque explicato Choeroboscus: πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι, ait, τοῦτο ποιοῦσιν· ἀλλ' ἀκολουθοῦσι καὶ οἱ πεζολόγοι, ἐπεὶ οἱ τραγικοὶ τοῦτο οὐ ποιοῦσιν, ἀλλ' ἀκολουθοῦσι τοῖς κοινοῖς. Sed videamus, num in hisce verbis, uti nunc quidem leguntur, sanus sensus insit. Primum enim dicit Choeroboscus: „omnino ita faciunt Athenienses." — „Iam quid ἀλλά vult sibi?" interrogat Reisigius l. l.; „haeccine est perversitas cogitandi quaedam?" — Sane quidem est. At ne Reisigii quidem nimis violenta loci medela placere potest. Nam scribendum esse censet aut ἀκολουθοῦσι δὲ καὶ οἱ πεζολόγοι, aut sic potius: πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι

τοῦτο οὐ ποιοῦσι. Quae quum nulla emendandi ratione inter se conciliari posse ipse fateatur, lacunam intercessisse existimat; quod quoniam mera est opinio, neque ulla probabilitatis argumento adiuvatur, aliquanto minus probandum videtur, quum praesertim contrariam sententiam, tragicis et tribuendum esse, ex eo loco elicere velit. Nam quum apud recentiores certe Atticos formam in η exeuntem praevaluisse certum sit, (cf. Eustath. ad Odyss. μ, p. 1723, 20, et Fischer. ad Weller. I, 399) verba illa πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τοῦτο ποιοῦσιν sine ulla exceptione dicta esse cum Reisigio affirmare equidem dubitaverim. Quare miror, Matthiaeum, collaudatis his, veteri sententiae adhuc addictum esse; v. gr. gr. in Addendis ad p. 374. Contra Buttmannus in Addendis ad gr. gr. p. 375, 389, 419 nunc quidem in Schneideri partes transiit. Cuius viri doctissimi consensus licet sententiae nostrae permultum addat auctoritatis, de vera tamen loci scriptura non tenues adhuc subdubitandi causae remanent. Nam quod Schneiderus ipse posthac in praef. ad Soph. Trach. p. XI. hunc locum ita in vernaculam vertit, ut nulla omnino restare videatur difficultas, id quidem in errorem inducere non poterit cautiorem lectorem. Nullo modo, (v. Herm. ad Viger. p. 470, not. 61), defendi potest primum illud ἀλλά, quum nihil antea denegatum sit, nec quidquam excipiatur, aut supplendo corrigatur, aut denique opponatur, sed potius δέ particula exspectetur. Nec vera quidem esset prima sententia, πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τοῦτο ποιοῦσιν, pessime certe expressa, quum statim subiiciatur οἱ τραγικοὶ τοῦτο

οὐ ποιοῦσιν. Neque ullo modo demonstrari poterit, Choeroboscum verbo Ἀθηναῖοι non scriptores significare voluisse, sed, quod Schneiderus putat, incolas atticae terrae, praesertim cum statim diversi generis scriptores deinceps commemorentur. Cujus loci difficultates ad unam omnes tolluntur ingeniosa emendatione, quam olim Franckius, quo usus sum praeceptore doctissimo eodemque optimo, mecum communicavit. Putat videlicet, propter vocabulum, locum nostrum proxime antecedens, διφθόγγου, a librario omissam fuisse negationem οὐ, quae cum sequentibus cohaereret. Nam duarum aequalium syllabarum alteram persaepe neglectam in codicibus desiderari notum est. Quod quam facile fieri potuerit, vel exinde apparet, quod in libris MSS. syllaba ου flexa tantum lineola ᵕ, vocabulo superimposita, exprimi solebat; v. Bast. Comment. post. Gregor. Cor. p. 774; cf. p. 499, 62. Itaque legendum esse videtur: οὐ πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τοῦτο ποιοῦσιν· ἀλλ' ἀκολουθοῦσι κ. τ. λ. Qua emendatione probata nemo in particula ἀλλά offendet, quum praecedat negatio, et totius loci exeat sensus aliquanto probabilior, quem perspicuitatis caussa vernacula expressum addere liceat: „Die Athener thun dieses aber nicht durchgängig. Doch auch die Prosaiker folgen ihrem Gebrauche, indess die Tragiker solches nicht thun, sondern sich dem Gemeingriechischen anschliessen." — Ceterum Reisigius alio etiam argumento illius testimonii, etiamsi corruptum non sit, debilitare fidem conatur. „Nam si discessissent tragici, inquit, ab illa consuetudine, quam aetate ipsorum obtinuisse certum est, id non

casu et fortuito, sed consilio et ratione fecissent.“ Illud quid sit consilii et rationis, satis mihi videtur exposuisse Schneiderus l. l. p. 5. „Quod quum ita sit,“ pergit Reisigius, „quo tandem consilio putamus eos retinuisse tria illa *οἴει, βούλει, ὄψει*?“ Nullo profecto consilio. Neque enim in vocabulorum formis, in quibus constituendis solus loquendi usus dominatur, de singularum caussis atque consiliis sermo esse potest. Neque poetae tragici illam in *η* exeuntem formam „fingebant“ popularibus inusitatam, ut dicit Reisigius, sed eam apud Homerum iam pridem obviam, (v. Thiersch. gr. gr. §. 221, et §. 243, 39 ed. tert.) in scenam tragicam introducebant, ut epicae poesis formis adhibitis tragoediae gravitatem incolumem servarent, eamque, quoad eius fieri posset, a vulgari loquendi usu secernerent, quippe qui comoediae soli conveniret. Ceterum permulta, e communi dialecto petita, apud tragicos una cum atticis formis obtinebant, ita ut de continua quadam dialecti aequabilitate, atque propria tragicae linguae indole cogitari non possit. V. Schneiderum in praefat. ad Soph. Trach., et cf. Herm. in praefat. ad Eur. Hecub. p. 25. sq. Passov. in Censura Elmsleiani Oed. T., quae legitur in Ephem. litt. Ienens. a. 1818, n. 147, p. 260. In Aeschyli tragoediis formam *η*, quam expulerant Schützius, Blomfieldius, alii, restituit Wellauerus, quem v. ad Agam. 257, et aliis multis locis, plurimorum optimorumque codicum auctoritatem sequutus. Fischer. ad Plat. Euthyphr. 19. Heind. ad Theaetet. 32. Adde Matthaeium in praef. ad Soph. Phil. p. 15.

De ν paragogico.

Postquam doctrina de brevibus syllabis, in fine vocabulorum sola caesurae vi producendis, a Brunckio potissimum commendata fuerat, ita ut ν paragogicum, imprimis ex epicorum carminibus, prorsus fere expelleretur, nuper Porso ad Eur. Orest. 64 et Hermannus de emend. rat. gr. gr. p. 13 sq. aliam viam ingressi sunt, eam videlicet, ut sequente muta cum liquida ν paragogicum adiiciendum esse verissime statuerent. Iis enim, quae Hermannus l. l. egregie disputavit, nihil fere gravioris momenti opponi posse dixerim. „Nam licet recte, ait, produci possint istae syllabae, propter sequentem duplicem consonantem, nemo tamen negabit, duriorem esse eam productionem, quae primam ex istis consonantibus avelli a suo verbo, et ad praecedens vocabulum in pronunciatione apponi postulat, quam quum additum ν syllabam finalem et pronunciationis aliqua mora et commodiore consonantium positione producit. Certe quaecunque in vocabuli sequentis initio occurrant, non poterit placere ultima praecedentis vocabuli syllaba ictu acuta, si ea syllaba ex eo genere est, cuius insolens est productio.“ Neque in eo cum Schneidero nimis offendor, quod nec Porso neque Hermannus codicum auctoritati hac in re quidquam fidei concedendum esse censuerunt. Sed hoc mihi recte dixisse videtur, Porsonem rem nimis auxisse, qui l. l. „ubi verbum, ait, in brevem vocalem desinit, eamque duae consonantes excipiunt, quae brevem manere patiantur, vix credo exempla indubiae fidei inveniri posse, in quibus syllaba ista

producatur", idemque fecisse Erfurdtium, qui ad Soph. Ai. 1109 ed. maior. contra Lobeckium pugnans, quem v. ad Ai. 1109, exemplorum collectorum maiorem partem corrigere non dubitaverit, quo ipso regulam valde incertam reddi satis apparet. Licet enim negari non possit, multa egregie emendavisse Erfurdtium, tamen de omnibus locis non temere quisquam ei assentietur. Neque illud satis perspici potest, cur in duobus secretis vocabulis nos offendat, quod in compositis non minus licuerit, (ut in ἐπιδρομάς, Eur. Hel. 404, κατακλύσειν, Troad. 1002, ἐπικράνων, Iphig. T. 51; ἑλίτροχοι, Aesch. Sept. 187; δορίτμητος, Choeph. 343; πολύτλας Soph. Ai. 956,) quam in simplicibus; (ut πατρός, Soph. Oed. Col. 442, ὕβρις, ib. 883, νεκροί Ant. 1240 et Eur. Phoen. 881, ὀκνεῖν, Soph. El. 320, Eur. Orest. 782). Quae quidem licentia iis videtur annumeranda esse, quae, quamvis paucae, ex epica poesi in tragicorum dialectum transierint. Nam remotis etiam iis locis, ubi ν adiecto res facile expeditur, satis multi emendatu difficiliores restabunt. Atque in universum regula quaeque in suspicionem incidere debet, si loci repugnantes, qui nullam aliam in se continent caussam, ex qua reiiciantur aut mutentur, coniecturis removendi sunt. — V. Wellauer. ad Aesch. Pers. 768 et ad Prom. 612. In melicis tragoediarum partibus leguntur apud Eur. Orest. 1468 τὸ χρυσεοσάνδαλον, Troad. 253 ὁ χρυσοκόμας, Phoen. 1498 στολίδα κροκόεσσαν, Aesch. Sept. 304 Ἀΐδι προϊάψαι, Soph. Oed. Tyr. 169 ἔνι φροντίδος, Antig. 612 τὸ πρίν, Electr. 835 ἆ θροεῖς, Trach. 1012 κατά τε δρία πάντα

καθαίρων in versu hexametro; Aesch. Choeph. 589 πυρδαῆ τινα πρόνοιαν, quam vulg. Wellauerus defendit contra Hermanni emendationem πυρδαῆτιν; Pers. 654 ὅπως καινά τε κλύῃς νέα τ' ἄχη, v. Well. ad h. l.; Electr. 1155 λαβοῦσα τλάμων, ubi v. Seidl. Eandem licentiam in anapaesticis tragici poetae sibi indulsisse videntur, ut apud Aesch. Sept. 1048 — γένος ὠλέσατε πρυμνόθεν οὕτως, ubi cum Porsone Elmsleius ad Eur. Med. 814 praeter necessitatem legendum censet ὠλέσσατε. Ceterum ne Erfurdtius quidem productarum ante mutam cum liquida brevium syllabarum licentiam in versibus anapaesticis et dactylicis negavit. Et quum in nonnullis syllabis probetur et correptio et productio, ut in μν, δμ, γλ, βλ, γν, (v. Erfurdt. ad Soph. Antig. 849, ad Ai. 1066, Herm. in Elem. d. m. p. 46, Seidl. de vv. dochm. p. 21, Elmsl. ad Eur. Bacch. p. 17 et 136,) quidni etiam in aliis eiusmodi concedatur, iure profecto interrogare potest Schneiderus, quem v. in Quaestt. Critt. de trag. dial. p. 59. Sed nihilo minus Porso, ut mihi quidem videtur, recte addidit ν paragogicum apud Eur. Orest. 64 ἐμῇ τε μητρὶ παρέδωκεν τρέφειν, licet litterae consonae τρ syllabam praegressam positione producant. Sequuti sunt Matthiaeus et Bothius. Leges enim euphoniae hac in re omnia decrevisse videntur, non metrorum ratio, utrum insolentiora essent, an nota atque solita, quae est Schneideri sententia l. l. p. 60. Id quod mihi videor colligere posse ex Inscriptionibus, longe certioribus, Hermanno quoque iudice, (v. praef. ad Eur. Hec. p. 21) harum rerum testibus, quam codices,

minime sibi constantes. Nam auctore Osanno, quem v. in Syll. Inscr. p. 116, tit. 33, Inscriptiones abundant fere exemplis *ν* paragogici ante consonas litteras positi, et ante vocales omissi, ita quidem, ut ipsi veteres nullas certas regulas sequuti fuisse, sed potius serioris aetatis grammatici eas confinxisse videantur, quorum alii aliter de *ν* paragogici usu atque origine statuunt. Dicit Grammaticus in Bekkeri Anecd. gr. p. 1400, Atticorum dialecto proprium fuisse usum *ν* illius in tertiis verborum tam pluralis quam singularis personis, in *ι* et *ε* exeuntibus, et in dativis pluralis numeri participiorum et nominum, apud Iones contra omnia haec sine *ν* pronunciata fuisse affirmat; omnes vero Atticorum prosaicos scriptores *ν* addidisse testatur, tam vocali quam consonante littera sequente, poetas tamen consonante littera sequente eiecisse *ν*, ubicunque metro repugnaret, vocali sequente non item, quoniam metrum eo non corrumperetur cet., quocum consentit Aristarchus, qui docet: — — Iones vero *ν* aspernantur. Quorum exemplo poetae, metri vinculis atque necessitati adstricti saepe consonanti littera sequente *ν* addunt, saepe etiam vocali sequente *ν* omittunt cet. Id quod apte conciliari potest cum Apollonii testimonio in libro de coniunctionibus (in Bekkeri Anecd. p. 520 sq.) *καὶ ἐκκείσθω ὑπόδειγμα τὸ ἐπὶ τοῦ ν, ὃ μάλιστα παμπολλόν ἐστιν ἐν τῷ πλεονασμῷ, ἕνεκα εὐφωνίας παραλαμβανόμενον ἐπὶ παντὸς βραχυκαταλήκτου ῥήματος, ἔλεγεν, ἔλαβεν, καὶ ἐπὶ δοτικῶν τῶν εἰς ι ληγουσῶν, κ. τ. λ.*, dummodo imprimis euphoniae, non hiatus expellendi caussa *ν*

paragogicum adhibitum fuisse statuamus. Nam quod aliae multae formae, in ε aut ι exeuntes, hanc litteram nunquam accipiunt, id quidem, recte monente Matthiaeo in gr. gr. §. 41, not. 3, adhiberi non potest argumento, eam, ubicunque adiiciatur, primariam atque antiquissimam formam fuisse, ut arbitratur Buttmannus in gr. gr. p. 93. Quod attinet ad particulas πρόσθεν, ὄπισθεν, alias, omissio ν paragogici in iis consideratur veluti proprietas quaedam, metri gratia permissa, neque conveniens solutae orationi. Sed e veteribus dorico-aeolicis formis πρόσθα, similibus, ν paragogicum serioribus demum temporibus additum fuisse iis voculis, initio in ε exeuntibus, probe colligi posse videtur. Cf. Fischer. ad Weller. 1, p. 189, Matth. gr. gr. §. 41, not. 2. Contra Lobeckium, significantem ad Phryn. p. 284, antiquiorem esse formam πρόσθεν, non πρόσθε, disputavit Matthiaeus in Addend. ad Eur. Androm. p. 507, qui exempla, ubi πρόσθε est in secunda et quarta trimetri sede, attulit haec: Soph. Phil. 958, Oed. Col. 1534 et 1370; Oed. Tyr. 263 et 1483, atque etiam cum elisione in Trach. 1052, qua πρόσθε satis etiam apud Atticos firmatur, licet πρόσθεν aliquanto frequentius sit. Lobeckius vero de solis prosaicis scriptoribus, non de poetis atticis locutus est, quibus non prorsus abiudicandas esse censet formas, ν illo carentes. Quum vero illo tempore novae Bekkeri collationes, ad Platonis opera confectae, Lobeckio nondum innotuissent, nuper in Programmate quodam academico, anni 1830, multis Platonicis locis adhibitis demonstratum ivit vir doctissimus, libros MSS. non omnino quidem in formis

illis scribendis sibi constare, plurimos tamen confirmare usum illum, quo adiiciendum sit *ν* paragogicum. V. Iahnii Annal. Philoll. 1831, tom. I, 2, p. 242. Ceterum iam apud Homerum *πρόσθε*, *ὄπισθε*, *σφίσι*, *πάλι*, alia certissima sunt; Attici *σφίν*, (etiam pro *αὐτῷ*, ut Aesch. Pers. 745, Soph. Oed. Col. 1490 Herm.) usurpare solent. V. Buttm. Lexilog. I, p. 60, et gr. gr. ampl. §. 26, 2. Qui varius *ν* paragogici usus veri simillimam reddit Apollonii sententiam, euphoniae caussa illam litteram aut additam aut omissam fuisse, sicuti etiam in mediis quibusdam vocabulis, ut *ἀμφασία* et *ἀφασία*, *ἀμπλακεῖν* et *ἀπλακεῖν*, de quibus v. Buttm. Lexilog. I, p. 136, Herm. de emend. rat. gr. gr. p. 18 sq. et Blomf. ad Aesch. Agam. 336. Neque praetereundum est, etiam apud prosaicos scriptores *ν* paragogicum ante consonam litteram persaepe praebere optimum quemque codicem. V. Popponis Prolegg. in Thucyd. p. 219 et 444, et, quem laudavimus, Osannum. Adde Wernick. ad Tryphiod. in Ind. s. *ν* parag. De adverbio *ἄνευθε* sive *ἄνευθεν* v. Bekkeri Anecd. p. 603, 21; ubi leguntur haec minime negligenda: *ἀλλὰ πῶς ποτὲ ἔχει τὸ ν; ᾧ λόγῳ καὶ τὸ ἔλεγεν καὶ τὸ ἔφερεν, οὐ λήγοντα εἰς ν, προσλαμβάνοντα δὲ τὸ ν διὰ τὴν τοῦ ε κατάληξιν.* — In universum vero tam variabilem *ν* paragogici usum apud Atticos fuisse, tamque arbitrarium, ut ne in fine quidem periodi aut versus, aut etiam integri libelli, ubi recentiores id vel aegerrime desiderant, ubique et semper additum sit, testatur idem Osannus l. l., qui non iniuria reprehendere videtur Her-

mannum, quod in librorum aliquot Thucydidis finibus contra Codicum auctoritatem verbo ξυνέγραψε paragogicum ν addendum censeat. Idem in Atticorum poesi falsissimum esse affirmat, quod vulgo de ν paragogici usu in versus clausula magnorum virorum praeceptum legis instar tradere soleant. Sed in Inscriptionibus, metro epico conceptis, e regula certa tum fere constanter omitti ν paragogicum, quum sequens versus consona littera incipiat, neque unum inveniri exemplum, quo, ν illo absente, sequens versus vocali littera incipiat, p. 150 docuit Osannus. Similia fere iam ante in Epigrammatis observaverat Iacobsius, quem v. in praefat. ad Anthol. Palat. p. 30; cf. Reisigium in praef. ad Commentt. Critt. de Oed. Col. p. 27; Elmsl. ad Eur. Bacch. 200. Thiersch. gr. gr. §. 243, 9, ed. tert. Monk. et Wüstem. ad Eur. Alcest. 247. Seidler. ad Eur. El. 1053, et de vv. dochm. p. 21; Herm. ad Eur. Bacch. 73; Wellauer. ad Aesch. Prom. 112 et 612, ad Pers. 768, ad Choeph. 814, ad Eum. 894; Brunck. ad Eur. Bacch. 1123, ad Soph. Ai. 1077; Erfurdt. ad Soph. Ai. 619 et ad Antig. 849. Gaisf. ad Hephaest. p. 218. — Schneiderus in universum quidem satis recte de ν paragogici usu disputavisse mihi videtur; sed quod Graecos id libentius omisisse quam addidisse censet, eius sententiae argumenta non satis idonea esse iudicamus.

De epicis quibusdam Tragicorum formis.

Vocabulorum quasdam formas, epico sermoni proprias, sibi vindicavisse tragicos, nunc in universum quidem apud omnes constat; sed fines talis licentiae accurate constituere, idoneamque rationem investigare, quam sequuti ionicis formis passim uti maluerint, quam communibus, quae persaepe et ipsae sine magna difficultate metro accommodari potuissent, ea quidem quaestio nondum est satis explorata. Usurpabant nimirum *μόνος*, *μοῦνος*, *γόνατα*, *γούνατα*, v. Elmsl. ad Eur. Med. p. 136 et Porson. ad Eur. Phoen. 866; *κόρος* et *κοῦρος*, v. Porson. praef. ad Eur. Hec. p. 14, et cf. Lobeck. ad Phryn. p. 236; *δορί* et *δουρί*, v. Porson. l. l. et Schneider. p. 21; *ὄνομα*, *οὔνομα*, v. Markl. ad Eur. Iph. Taur. 36, Schaefer. et Matthiaeum ad Soph. Phil. 251, frustra repugnante Elmsleio ad Eur. Bacch. 320; *ἀετὸς*, *αἰετός*, v. Wellauer. ad Aesch. Pers. 201 et ad Prom. 1024, *κάω*, *καίω*, *κλάω*, *κλαίω*, *ἐλάα*, *ἐλαία*, v. Matth. gr. gr. §. 12 cum Add.; *ξένος*, *ξεῖνος*, v. Valcken. ad Eur. Phoen. 285, Herm. ad Soph. Oed. Col. 932, Schaefer. in Ind. ad Pors. Hecub. s. v. *ξεῖνος*; et Wunder. ad Soph. Oed. Col. 925; *ἑλίσσω*, *εἱλίσσω*, v. Porson. ad Eur. Phoen. 3; Herm. ad Eur. Ion. 40 et in praefat. ad Soph. Ai. p. 18 sq. Parum probabilis est Elmsleii, quem v. ad Eur. Med. 88, aliorumque sententia, tragicos non nisi metro coactos ionicas illas formas in auxilium vocavisse, praesertim quum plu-

rimas leges, easque difficillimas, in componendis carminibus sibi praescriptas, vel accuratissime ubique observaverint, neque verisimile sit, eos metrorum vinculis tam obstrictos fuisse, ut ad alienas formas, sermoni intrudendas, confugere debuissent. Admiramur potius tragicos propter egregiam versuum condendorum facilitatem, qua ubique et linguam et metra in potestate sua habuisse videantur. Neque profecto ita difficile fuisset, formas atticas ubique metro aptare. Iure etiam interrogari potest, quam ob caussam ab uno tragico poeta formae quaedam ionicae probatae sint, quas ceteri vel prorsus reiecerint, vel rarissime sibi indulserint. Sic Sophocles haud raro, in trimetris etiam, forma μοῦνος usus est, quam repudiavisse videntur Aeschylus atque Euripides, exceptis videlicet melicis carminibus. Num propterea existimemus, Sophoclem minore versuum pangendorum facultate praeditum fuisse, ut evitare nesciret ionicas formas, an tantae negligentiae eum incusemus, ut pro metri ratione alterutram formam sine ullo delectu admiserit? tam unum quam alterum crimen poeta omnium venustissimo indignum esse unusquisque fatebitur. Sed nunc quidem, ne disquisitio nimis extendatur, consideremus tantummodo exempla aliquot Sophoclea formarum μοῦνος et ξεῖνος, in trimetros iambicos receptarum, atque vocabula haec ionicae indolis nonnisi tum, quum aliquo cum animi affectu atque emphasi pronuncianda essent, usurpata fuisse facile apparebit. V. Soph. Ai. 1276 — ἤδη τὸ μηδὲν ὄντας, ἐν τροπῇ δορὸς ἐῤῥύσατ' ἐλθὼν μοῦνος — ; Electr. 531 τὴν σὴν ὅμαιμον μοῦνος Ἑλλήνων ἔτλη

θῦσαι θεοῖσιν — ; Oed. R. 304 ἧς σε προστάτην σωτῆρά τ', ὦναξ, μοῦνον ἐξευρίσκομεν. Ib. 1418; cf. Antig. 308, 508, 705; Oed. Col. 991 ἓν γάρ μ' ἄμειψαι μοῦνον, ὧν σ' ἀνιστορῶ; ib. 1250; Trach. 272 ὁθούνεκ' αὐτὸν μοῦνον ἀνθρώπων δόλῳ ἔκτεινεν · ib. 1209 — καὶ μοῦνον ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν. Nunquam enim legimus adverbium μοῦνον, sed ubique οὐ μόνον — ἀλλὰ καί, similia, pronuncianda scilicet sine ulla vocis intentione. Ionica forma ξεῖνος plerumque casu vocativo a Sophocle in trimetros adscita fuisse videtur. Praeter Oed. Col. 924, ἀλλ' ἠπιστάμην, ξεῖνον παρ' ἀστοῖς ὡς διαιτᾶσθαι χρεών, ut ediderunt Schaef. Wund. Dind. Matth. et Reisig.; e solius codicis Vaticani auctoritate cum Brunckio et Elmsleio Hermannus scripsit ξένον; v. Matth. in ed. Weigel; sed tam totius loci sententia, quam vocabulorum collocatio nos admonet, ut voce distinguamus ξεῖνον, ut 1014, ὁ ξεῖνος, ὦναξ, χρηστός · αἱ δὲ ξυμφοραὶ αὐτοῦ πανώλεις, ubi ὁ ξεῖνος et αἱ ξυμφοραί ita sibi opponuntur, ut in iis praecipua orationis vis posita sit, quae brevitate syllabae male obscuraretur. V. Electr. 1119 ὦ ξεῖνε, δός νυν, πρὸς θεῶν — ibid. 675; Oed. Col. 33, 47, 856, 1094, 1119. Merito enim atticam formam praetulit poeta in Oed. Col. 903 — ὡς μὴ παρέλθωσ' αἱ κόραι, γέλως δ' ἐγὼ ξένῳ γένωμαι τῷδε, χειρωθεὶς βίᾳ, quandoquidem ξένῳ sine ulla vi pronunciandum est. Qui varius formarum usus, in vocabulis certe eiusmodi, qualia sunt μοῦνος et ξεῖνος, non ita difficilis esse videtur explicatu. Nonne enim ipsi, quum in pronun-

ciandis vocabulis ξένος et μόνος, si quando propter loci sententiam prae ceteris distinguenda sunt, diutius voce commoramur, statim nos incidere sentimus in ionicas formas, plenius quasi sonantes atque fortius? Sunt enim vocales litterae ε et ι aeque et ο et υ ita inter se cognatae, ut, quum producamus ε et ο, simul etiam nobis audire videamur ι et υ. — Iam transeamus ad alias nonnullas ionicas formas, apud Sophoclem obvias. Πολλός pro attico πολύς apud tragicos certissimum est. V. Soph. Antig. 86 πολλὸν ἐχθίων ἔσει, quod Porso ad Eur. Hecub. 624 praeter necessitatem mutandum putavit aut in μᾶλλον, aut, quod praefert, in πλεῖον. Cf. Trach. 1196. Formae μέσσος pro μέσος exempla vide apud Erfurdtium ad Soph. Antig. 86 et 1208. Minus recte Schneiderus in Quaestt. p. 23 huc referendum censet ἔσσομαι apud Soph. Electr. 818, ubi v. Herm. Locus enim, quem confert, Arist. Pac. 187, nunc quidem a Brunckio et Dindorfio, Dawesium sequutis, recte ita restitutus est, ut pro vulgata ἔσσεθ' ὅπως legatur ἔσθ' ὅπως. V. supra pag. 29. Porro in senariis admittuntur ἀπαί, διαί, ὑπαί; v. Aesch. Agam. 866, 918, Soph. El. 711, Buttm. gr. gr. §. 117, not. 3, Blomf. ad Aesch. Ag. 135, Seidl. de v. dochm. p. 93, 94; Herm. et Wunder. ad Soph. Phil. 184. — Legitur etiam passim ἐνί in tragoediis, ut Trach. 7, et εἰν pro ἐν, v. Herm. ad Antig. 1227, Lobeck. ad Ai. 614; Osann. Anal. Critt. p. 103. Sic εἰναλίαν servatum maluerim a Porsone apud Eur. Hec. 39, qui contra librorum auctoritatem scripsit ἐναλίαν cum Dawesio in Miscell. Critt. p. 196. Cf. Valcken. ad Eur.

Phoen. 6. Wellauer. ad Aesch. Prom. 345 et Pers. 747. De εἵνεκα et οὕνεκα v. Meinek. ad Menandr. p. 391, Wellauer. ad Aesch. Prom. 345; Popponis Prolegg. ad Thucyd. I, p. 212; Matth. gr. gr. §. 12 cum not. g. Buttm. gr. gr. p. 292 cum Add. p. 388, et Ahlwardt. in Symb. II ad Schneideri Lex. gr. Melicis tantum partibus conveniunt ἔσσεται apud Aesch. Pers. 120, ubi v. Well., ἔμμεναι, ἔσκε, ἐοῦσαν, v. Herm. ad Soph. Ant. 619, τόσσον, ὅσσον, πρόσσω, κτίσσας, ὀλέσσας, de quibus v. Lobeck. ad Ai. 183, Monk. et Wuestem. ad Eur. Alcest. 234. Elmsl. ad Eur. Med. 814, Meinek. Quaestt. Menandr. p. 31, Wellauer. ad Aesch. Agam. 138. De diaeresi, in formis νόον, ῥέεθρον, εὔροον, similibus, obvia, v. Lobeck. ad Ai. 427; Wellauer. Commentt. Aeschyl. p. 22; de ἐλεεινός cf. Wellauer ad Aesch. Prom. 246, Porson. Praef. ad Eurip. Hecub. p. 7; de ἀΐσσω, ᾄσσω v. Elmsl. ad Eurip. Bacch. 147, Pierson. ad Moerid. p. 301, Porson. ad Eurip. Hecub. 31, Seidler. de v. dochm. p. 20, Wellauer. ad Aesch. Pers. 462; adde Welcker. in Append. ad Trilog. Aesch. p. 83. Dativi pluralis exitus in ησι, αισι, ης, apud epicos frequentissimus, in tragicorum etiam atque Aristophanis fabulis passim reperitur. V. Elmsl. et Porson. ad Eur. Med. 466, Valcken. ad Eur. Hipp. 1432 et Phoen. 62, Koen. ad Gregor. Cor. p. 383; Brunck. ad Arist. Ran. 1211. Fischer. ad Weller. I, p. 363. Blomf. et Wellauer. ad Aesch. Prom. 363. De epico secundae declinationis dativo, qui in οισι exit, v. Fischer. ad Weller. I, p. 376, et cf. Heind. ad Plat. Phaedr. 37. In universum vero Sophocles

epicas quasdam formas semel modo, bis terve recepit, ut corruptae lectionis suspicionem passim ab editoribus moveri mirum non sit. At vero ipsa talium formarum multitudo codicumque consensus eiusmodi locos vindicare debent a virorum doctorum variis emendandi periculis. Sic in Soph. Ai. 730 vulgo legitur κουλεῶν, de qua forma v. Hermannum et Lobeckium. — Electr. 681 Hermannus edidit cum omnibus libris — δρόμων διαύλων πεντάεθλ', ἃ νομίζεται. Cuiùs loci varias atque inutiles emendationes enumerare longum est. V. Martin. Syllog. var. lectt. — Wunderus, ceteris verbis servatis, praetulit atticam formam πένταθλ', sed librorum consensu destitutus. Hermannus „quod autem antiqua," ait, „et poetica forma πεντάεθλα usus est, id ideo factum credibile est, quod attica forma vulgaris haberetur." In Trach. 495 optimae notae codices praebent κεινόν, alii κενόν, quod cum Brunckio et Schaefero praetulit Herm.; v. Elmsl. ad Eur. Iph. T. 414. Apud Aesch. Sept. c. Theb. 62 νηός legitur ionica forma, ubi Elmsleius ad Eur. Med. 523 e tribus codicibus edendum censet ναός, quod a Blomfieldio receptum iniuria improbat Wellauerus; v. Buttm. gr. gr. §. 27, not. 16. Matth. gr. gr. §. 85, not. 1, Elmsl. ad Eur. Med. 510. Aesch. Pers. 424 τοίδε legitur sine lectionibus variis, neque in eo adhuc usque, quod sciam, offenderunt interpretes, Blomfieldio excepto, licet et ipse τοίδε defendi posse minime negaverit; v. Herm. ad Soph. Ai. 1383. Saepe μίν et νίν pro αὐτόν etc. usurpari, idoneis exemplis comprobari potest. Aesch. Sept. c. Theb. 435 κεραυνοῦ δέ μιν βέλος

ἐπισχέθοι, ubi invitis omnibus libris Brunckius reposuit νίν, quippe qui cum Valckenario ad Eur. Hippol. 1253 μίν a tragicis repudiatum fuisse censeat, eumque sequuti sunt Schütz. et Blomf., optime repugnante Wellauero. Cf. Eum. 621, ubi Schützius, quem v. ad Prom. 55, parum sibi constans, vulg. μίν retinuit, et Soph. Trach. 388. — Electr. 21 — ὡς ἐνταῦθ' ἐμὲν, ἵν' οὐκ ἔτ' ὀκνεῖν καιρὸς, ἀλλ' ἔργων ἀκμή, quam plurimorum librorum lectionem recte receperunt Brunck. Herm. Matth. et Wund. — ἐσμέν, atticam formam etiam codices nonnulli praebent, sed disperdito metro. Dawes. in Miscell. Crit. p. 282. coniecit ἴμεν, probatum illud Erfurdtio et Schaefero. Hermannus, licet vix putet Sophoclem scribere potuisse ἐμέν, tamen, ut in re incerta, non ausus est quidquam mutare. Ceterum ἐμέν agnoscit h. l. etiam Buttm., quem v. in gr. gr. §. 108, not. 15. — Trach. 24 ἐγὼ γὰρ ἥμην ἐκπεπληγμένη φόβῳ, ubi v. Schneiderum. Cui lectioni, a Schol. Rom. etiam memoratae, nonnulli recentiores praetulerant ἤμην; haud scio an non recte. Phryn. p. 152 ἤμην, ait, εἰ καὶ εὑρίσκεται παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, οὐκ ἐρεῖς, ἀλλ' ἦν ἐγώ, ubi v. Lobeck.; cf. Buttm. gr. gr. §. 108, not. 13. — Soph. Ai. 669 ὅτ' ἐχθρὸς ἥμην, ἐς τοσόνδ' ἐχθραντέος, ubi nunc quidem ex emendatione Küsteri apud omnes legitur ἡμῖν. Sed vulgatam optime defendit atque explicavit Schneiderus in notula editionis. Ponitur enim passim tempus imperfectum loco praesentis, sed ita plerumque, ut eo temporis quoddam spatium significetur. Cf. Schaefer. ad Oed. Col. 1697. Accedit, quod Etymologicum M. ab

Euripide semel adhibitum esse ἤμην tradit; v. Pierson. ad Moerid. p. 172; adde Fischer. ad Weller. II, p. 505. Schaefer. ad Long. p. 423. Forma ἦ, pro ἦν, veteri atticismo tribuenda ex Eustathii aliorumque grammaticorum auctoritate, neque Aristophani, neque tragicis prorsus abiudicari poterit, atque nuper a Bekkero, optimum quemque codicem sequuto, in Platonem recepta est. V. Brunck. ad Ar. Plut. 77, Blomf. ad Aesch. Agam. 1617, Herm. Praef. ad Soph. Oed. T. p. 7. Fischer. ad Weller. II, p. 498. Heind. ad Plat. Protag. 5. Imperfectum ionicum ἔσκον legitur in versu lyrico apud Aesch. Pers. 648. Ceterum ἐχθραντέος l. l. tanquam male sonans repudiatum est a Porsone ad Eur. Med. 555, qui scribi iubet ἐχθαρτέος; obtemperaverunt Lobeckius, Schaeferus, ceteri. Simili ratione formam ἐχθαίρειν, quae frequentior est, et attica perhibetur, alterius ἐχθραίνειν loco, quam et ipsam omnes fere codices praebent apud Soph. Ant. 94 et Eur. Med. 555, ubique tragicis inferendam esse iudicavit Porso. Sed neque ἐχθραίνω neque ἰσχναίνω, (v. Schaef. ad Eur. Orest. 292 ed. Porson.) removeri possunt e tragicis. Cf. Aesch. Prom. 380 et Blomf. ibid. 277. Matth. ad Eur. Orest. 288. Schneideri Quaestt. p. 15. Porro huc referendum est epicum illud ἐξίκοι in senario apud Soph. Oed. R. 1182, ubi Elmsl. ex uno codice scripsit ἐξήκοι, ut Dindorfius, quae mihi quidem glossa esse videtur, insolitae adscripta formae ἐξίκοι, Erfurdtio et Matthiaeo recte probatae, licet omnino quidem ἱκανω apud tragicos aliquanto frequentius legatur, ut in soluta oratione saepius ἀφικνοῦμαι. V. Buttm. gr.

gr. II, 1, p. 155. — Adde Eur. Electr. 593 — σὺ δ', ὦ γεραὲ, καίριος γὰρ ἤλυθες, ubi v. Seidlerum; cf. Troad. 374 ἐπεὶ δ' ἐπ' ἀκτὰς ἤλυθον Σκαμανδρίους —, et Elmsl. ad. Med. 1077, Meineck. Quaest. Men. I, p. 35. De epico Futuro ἐλεύσομαι v. Schaef. ad Soph. Oed. Col. 1206, et Elmsl. ad Eur. Heracl. 210, Lobeck. ad Phryn. p. 37. Apud Soph. El. 757 καί νιν πυρᾷ κήαντες εὐθὺς, atticum κέαντες reposuerunt Erf. et Herm. Sed accuratius vulgatam videtur servavisse Wunderus. V. Aesch. Agam. 823, Eur. Rhes. 97, Buttm. gr. gr. II, 1, p. 161, et Ien. Ephem. Litt. 1826, No. 173, p. 430. Κίω, verbum epicum, invenitur etiam apud Aesch. Choeph. 696; cf. Buttm. l. l. p. 168. De epico ἀδελφεός v. Herm. ad Oed. Col. 1059, Wellauer. ad Aesch. Sept. c. Theb. 558, Seidl. ad Eur. El. 134; verissime Hermannus: „formae istae poeticae, ait, non tantum metro alicubi commodae sunt, sed saepe etiam, ut oratio splendidior fiat, usurpantur.“ De ἰδέ, coniunctione epica, pro ἠδέ v. Passov. Melett. Critt. in Aesch. Pers. p. 43, et Herm. ad Soph. Ant. 957. De πνέω, πνείω v. Herm. ib. v. 1132.

Ἀχαϊκός, epicam formam, praeter necessitatem in tragicos intulerunt Brunckius et Beckius. Plerique enim codices praebent ἀχαϊκός; v. Porson. ad Eur. Hec. 291, Seidl. ad Eur. Troad. 674, Herm. de emend. rat. gr. gr. p. 37, Lobeck. ad Phryn. p. 39. Blomfieldius Aeschylum et Athenienses eiusdem aetatis more Homerico Ἀχαϊκός scripsisse putat, ad Aesch. Agam. 607. De formis atticis ῥοιά, χροιά, στοιά, πνοιά cet. v. Pierson. ad Moer. p. 338, Brunck. ad

Arist. Eccl. 676, Elmsl. ad Eur. Heracl. 431; de ἐλάα, ἐλαία v. Meineck. ad Menandr. p. 51; Matth. in Add. ad gr. gr. p. 513. Huc pertinent, quae de correptis diphthongis docuit Passovius in Lex. gr. s. v. ποιέω, prope finem. De κόρος et κοῦρος v. Monk. Wüstemann. et Matth. ad Eur. Alc. 459 et cf. Osann. Syll. Inscr. I, p. 92, 157, 203, 217; Matth. gr. gr. p. 53 sq. Lobeck. ad Phryn. p. 235, Markl. ad Eur. Iph. T. 36; de Διόσκουροι, Διοσκόρω v. Schaef. ad Gregor. Cor. p. 300, Meineck. ad Men. p. 253. Porson. ad Eur. Hec. 931; γέρα, epica pluralis forma pro γέρατα, apud tragicos secundam producit; v. Porson. ad Eur. Phoen. 888. Optime Schneiderus absolvit quaestionem, quae difficilior est, de formis ἀεί, αἰεί, in libello de dial. Trag. p. 22, et postea in praef. ad Soph. Oed. T. Αἰεί, ionica forma, etiam in Atticis poetis toleranda est, ubicunque producenda est prima syllaba, quae in ἀεί natura brevis est. V. Herm. in praef. ad Eur. Herc. fur. p. 3 sq., Buttm. gr. gr. ampl. II, p. 292, Bast. ad Gregor. Cor. p. 346sq., Popponis Prolegg. ad Thucyd. I. p. 211, Osann. Syll. Inscr. I, p. 242, Elmsl. praef. ad Soph. Oed. T. p. 11, Dindorf. in praef. ad Soph. p. 57; adde Heyn. ad Hom. Il. tom. VI, p. 638, Boeckh. ad Pindar. Pyth. 9, 91, Thiersch. gr. gr. p. 421 et 429 ed. tert. Certissima exempla primae syllabae productae subiiciam haec: Aesch. Prom. 26, Pers. 181, Soph. El. 298, 643, Eur. Phoen. 87, Med. 456, 1019. — Αἶα, forma ionica, legitur in senario apud Aesch. Prom. 302. De epico genitivo, qui in εος exit, pro attico εως, v. Fischer. ad Well. I,

p. 405 et Matth. gr. gr. §. 80, not. 1, et §. 83, not. 3. De communis generis accusativis μίν et νίν v. Wellauer. ad Aesch. Sept. 435, Valcken. ad Theocrit. Adon. p. 212, c; de forma σφέ v. Brunck. ad Aesch. Prom. 9, Valcken. ad Eur. Hipp. 1253, Matth. gr. gr. ampl. §. 147, not. 8; de σφί, σφίν, v. Elmsl. ad Eur. Med. 393, Reisig. Comment. in Soph. Oed. Col. 1484, Buttm. gr. gr. ampl. §. 72, not. 19. De νῴ, νώ, σφῴ, σφῷν cet. v. Blomf. ad Aesch. Prom. 12, Valcken. ad Eur. Phoen. 463, Dawes. Miscell. Crit. p. 238, Pierson. ad Moer. p. 265 et 300, Fischer. ad Weller. I, p. 201, Matth. gr. gr. §. 145, not. 5, Buttm. gr. gr. §. 72, not. 5 et Lexil. I, p. 48 sq. De του, τῳ pro τινός, τινί v. Valcken. ad Eur. Phoen. 1608, Brunck. ad Aesch. Sept. 474, Blomf. ad Prom. 21; de ὅτου, ὅτῳ, quae aliquanto saepius leguntur, quam οὗτινος, ᾧτινι, v. Elmsl. ad Soph. Oed. Col. 1673. Epicum pronomen τεός, τεή, τεόν rarissime apud tragicos legitur; v. Aesch. Prom. 162, Soph. Ant. 604, Eur. Heracl. 914. De dorico pronomine ἁμός pro ἡμέτερος v. Blomf. ad Aesch. Sept. 413, Fischer. II, p. 227, Brunck. ad Eur. Andr. 1175. De ὅς et ἑός, ionica forma, apud tragicos dubia, v. Matth. gr. gr. §. 149, not. 1. De mendosis formis ταὐτῆς, ταὐτόν, ταὐτήν v. Herm. ad Soph. Phil. 814, Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 303. De particula αὖτις, quae est ionica et dorica, et αὖθις, attica, v. Reisig. Comment. ad Soph. Oed. Col. 234. De accusativo ionico πρύμνην, quem Matthiaeus et Buttmannus probant in Soph. Phil. 481, quoniam πρύμναν ultimam sylla-

bam habeat brevem, ideoque versum corrumpat, optime disseruit Schneiderus ad Phil. l. l. De prosodia primae declinationis nominum substantivorum, quae in *εία, οία, ία* exeunt, v. Matth. gr. gr. ampl. §. 68, 3, b, not., Elmsl. ad Eur. Bacch. 1112. Epicus genitivus, qui in *οιο* finitur, nonnisi in lyricis tragoediarum partibus legitur; v. Herm. ad Soph. Ai. 209, et ad Orph. p. 724, Blomf. ad Aesch. Prom. 524. Perpauca reperiuntur exempla neglectae contractionis in iis secundae declinationis vocabulis, quae ex atticismi regulis contrahenda sunt; v. Pierson. ad Moer. p. 284 et Matth. gr. gr. 69, not. 1. Vocabula nonnulla, quae in *ως, ωτος* exeunt, apud Atticos passim in secundae declinationis formam transeunt, ut *γέλων* pro *γέλωτα* in senario in Eur. Ion. 1191; v. Elmsl. ad Arist. Acharn. 1095, Blomf. et Elmsl. ad Aesch. Prom. 362. De *χρέως* et *χρέος* v. Reisig. in Soph. Oed. Col. 226 et Lobeck. ad Phryn. p. 391. Nominum propriorum genitivi apud tragicos tam *ονος* quam *ωνος* habent; v. Matth. ad Eur. Alcest. 856. Atticis imprimis convenit tertiae declinationis accusativus singularis numeri, qui in *ν* exit; leguntur tamen etiam apud tragicos *ὄρνιθα, χάριτα,* similia; v. Fischer. ad Weller. I, p. 411, et quos laudavit Matthiaeus in gr. gr. §. 73. De flexione nominis *Οἰδίπους* v. Reisig. Comment. in Soph. Oed. Col. 550 et Fischer. II, p. 182. — *Ἡρακλέης*, ionica forma, etiam in trimetris toleranda est; v. Eur. Herc. fur. 924, Ion. 1144, et Brunck. ad Arist. Thesm. 169, et de genitivo *Ἡρακλέους* v. Porson. ad Eur. Med. 675, de accusativo *Ἡρακλέα* v. Valcken. ad Eur.

Phoen. 1258. Genitivi ἄστεος et ἄστεως pariter apud tragicos probandi; cf. Elmsl. ad Soph. Oed. T. 762. Genitivi loco interdum epicorum more syllaba θεν adiicitur nominibus propriis, ut Ἀργόθεν in Soph. Ant. 106, sed in solis lyricis partibus. De δάκρυον et δάκρυ v. Thom. M. p. 198; de ἔρως et ἔρος, quae forma legitur in Eur. Iph. T. 1180, v. Koen. ad Greg. Cor. p. 608. De duplice nonnullorum vocabulorum forma, ut φύλαξ et φύλακος, Δημήτηρ et Δημήτρα, ἀλάστωρ et ἀλάστορος, v. Koen. ad Gregor. Cor. p. 592, Brunck. ad Soph. Ant. 974, Fischer. II, p. 197. De ionismis, apud tragicos obviis, v. etiam Thiersch. gr. gr. §. 243 ed. tert. — Neque doricae quaedam formae a tragicorum trimetris iambicis prorsus removeri poterunt. Constat enim dialogo concedendas esse formas Ἀθάνα, δαρός, ἕκατι; v. Brunck. ad Arist. Lys. 306, ἑκαβόλος, κυναγός, (sed κυνηγία, κυνηγέτης, κυνηγετεῖν); v. Herm. ad Eur. Bacch. 335, ποδαγός, λοχαγός, ξεναγός, ὀπαδός; v. Lobeck. ad Phryn. p. 428 sq. Porson. ad Eur. Orest. 26. Buttm. gr. gr. §. 27. not. 16; Valcken. ad Eur. Phoen. 11, 120, 255, 1113, 1149 et ad Hippol. 1092, ubi cf. Monk.; Markl. ad Eur. Suppl. 420 et 888; Herm. ad Soph. Ai. 771 et in praef. ad Eur. Bacch. p. 7, Matth. gr. gr. ampl. p. 46. Ceterum quum in versibus trochaicis, tum glyconeis, praesertim ubi sedatior esset et tranquillior oratio, multo rariorem fuisse dorismi usum, observat Hermannus ad Eur. Bacch. 584, 904. Qui recte etiam praetulit librorum lectionem ib. v. 548 πόθι Νύσης, ubi Elmsl. edendum curavit Νύσας,

minus accurate, licet carmen sit lyricum. Videntur enim in talibus tragici persaepe aures adhibuisse iudices, nec doricum quidquam temere iis obtrudendum est. Neque vero timendum, ne epica forma *Νύσης* nimis vulgaris habeatur; contra dorica recepta quatuor continuae syllabae vocali sua littera *α* vehementer offendissent mollissimas Atticorum aures. Imprimis Aeschylus doricas formas, quibus, dum in Sicilia viveret, adsuefactus esse videtur, etiam in trimetris amat. V. Choeph. 95 — *γάποτον χύσιν.* — Suppl. 608 — *τῶνδε γαμόρων.* — Aesch. Choeph. 569 *βαλόν*, i. e. *βηλόν*, quod nonnulli libri exhibent; ibid. 770 *γαθούσῃ φρενί*, et 1015 *νίκας τῆςδε*, alia. De forma *βᾶτε* in Suppl. 188 v. Buttm. gr. gr. II, p. 87; de *ἄραρεν* v. Porson. ad Orest. 1323, Elmsl. ad Eur. Med. 316, Buttm. l. l. p. 82, de *μάτηρ*, in trimetris passim obvio, v. Porson. ad Hec. 372, Erf. ad Soph. Antig. 463, Valcken. ad Phoen. 11. In melicis leguntur *ὑμνεῦσαι* pro *ὑμνοῦσαι*, ut *αὔτευν*, *εἰσοιχνεῦσιν*, de quibus v. Elmsl. ad Eur. Med. 413; Monk. ad Eur. Hippol. 167; *ἐρατύω*, v. Herm. ad Oed. Col. 161, cf. v. 531, 682, et ad Antig. 792, 1109. De *δήϊος*, *δάϊος* v. Herm. ad Soph. Ai. 771; de *οὐδαμᾶ* v. Schneider. ad Soph. Trach. 322; cf. de his doricis formis Thiersch. gr. gr. §. 243, 38. De dialecto, quae in tragicorum anapaestis reperitur, v. Blomf. et Wellauer. ad Aesch. Agam. 44 et Porson. ad Eur. Hec. 100. Adde Buttm. gr. gr. §. 27, not. 16, cum Add. p. 389, Lobeck. ad Phryn. p. 204 sq. et p. 640. Fischer. ad Weller. I, p. 362; Matth. ad Eur. Hecub. 96,

ad Hippol. 263, Elmsl. ad Med. 97, ibique Porsonem. Passim reperiuntur etiam in dialogis Aeolismi, ut πεδάρσιος, i. e. μετάρσιος, (v. Koen. ad Gregor. Cor. p. 638) in Aesch. Prom. 712 et 277, ubi v. Blomf. in glossar. et Choeph. 843. Sic πεδάοροι pro μετέωροι, πεδαίχμιοι pro μεταίχμιοι, in Choeph. 587, πέδοικος pro μέτοικος, μᾶσσων pro μείζων in Prom. 650, et Pers. 440; ποτὶ πτόλιν, Eumen. 79. De δᾶ pro γῆ v. Matth. gr. gr. p. 58. V. Aesch. Prom. 570, Eur. Phoen. 1304 Valckenaer. Choro convenit μᾶ pro μῆτερ in Suppl. 897. V. Valcken. ad Eur. Phoen. 1043, Eur. Electr. 625 νύμφαις ἐπόρσυν' ἔροτιν, ubi glossa legitur in MS. quodam libro: ἑορτὴν, Αἰολικῶς. V. quae addidit Seidlerus. Αἰές pro αἰέν ne in melicis quidem probandum censet Herm. ad Oed. Col. 709. Aeolicum ὔμμε pro ὑμᾶς in choro habet Soph. Antig. 846. De Ἄρεος, aeolico genitivo, apud tragicos obvio, v. Monk. ad Eur. Alcest. 514, Schaefer. ad. Greg. Cor. p. 607. Huc pertinet etiam ille aeolicus accusativus ἔρον pro ἔρωτα, in Eur. Iph. T. 1180. Ἐπεζάρει i. e. ἐπεβάρει in Eur. Phoen. et Rhes. 442, ubi v. Both., Arcadum propria est forma, Eustathio auctore, qui ζέρεθρον, βάραθρον confert ad Il. γ, p. 381, 20 et μ, p. 909, 27. Sic, Etymologo teste, τὸ βάλλω dicebatur ζέλλω, p. 408, 42.

De formis nonnullis atticis.

Quaestionem satis impeditam, quae est de formis praesentis temporis τίθης, τιθεῖς, ἱεῖς, ἵεις, ἵης, et τίθησι, τιθεῖ, optime retractavit Schneiderus l. l. p 6 et 7. Contractas enim illas praesentis formas, ionicae atque doricae dialecto proprie assignandas, etiam tragicis denegari non posse, licet aliquanto rarius apud eos legantur, quam τίθης, ἵης cet. nunc quidem ad liquidum perductum est. Cf. Buttm. gr. gr. ampl. §. 107, not. 8, et Matth. gr. gr. §. 210, 1, et §. 212, 7; Elmsl. ad Soph. Oed. R. 628, Monk. ad Eur. Alc. 901, Herm. ad Soph. Phil. 980, Harles. in Ephem. litt. quae inscriptae sunt Archiv f. Philol. I, 1, p. 111 sq., et quae habet Wellauerus in Praef. ad Commentt. Aesch. — De praesente atque imperfecto verborum, quae in υμι exeunt, v. Porson. et Schaef. ad Eur. Med. 744, et Fischer. ad Weller. II, p. 458 sq. De duplice imperativi praesentis forma ἵσταθι, ἵστη, ζῆθι, ζῆ, δείκνυθι, δείκνυ, v. Brunck. ad Ar. Lys. 733. Dubius est Aoristus ἀνῆσαν pro ἀνῆκαν in Eur. Ion. 1170; v. Fischer. II, p. 481 et Matth. gr. gr. §. 211, not. 2. Pauca liceat addere de secunda persona δύνασαι, δύνῃ et δύνᾳ. Phrynichus p. 359 ed. Lob. recte coniunctivum ἐὰν δύνῃ, perperam vero dici testatur indicativum δύνῃ, pro δύνασαι. Sed quum δύνασαι pedestris orationis proprium non ubique metro aptari posset, ionicum δύνῃ (v. Buttm. gr. gr. ampl. II, p. 112 cum

Add. p. 426) etiam indicativo modo a tragicis adhibebatur. V. Etym. M. 484, 34. Porso ad Eur. Hec. 253 δύνᾳ magis atticam formam esse dixit. Quod unde hauserit, non temere quisquam indicabit. Nihil impedit, quo minus illo loco ὅσον δύνῃ pro coniunctivo intelligatur; v. Matth. ad Hec. l. l. De dorico δύνᾳ, quod legitur in Theocr. Idyll. X, 2, v. Schol. Victor. ad Hom. Il. 14, 199. Itaque minus probaverim, quod Hermannus in Soph. Phil. 787 contra libros scripsit οὐ δύνᾳ, ubi v. Schaef. et Buttm. Vulgatam retinuerunt Wunderus, Matthiaeus in ed. Weigel. et Matthaeius. Aliter res habet ibid. v. 838, ubi in versu lyrico δύνᾳ nihil offensionis habet. — Pro secunda imperfecti persona ἦς, quam soloecam vocat Phrynichus p. 149, apud tragicos recentiores recte restituerunt atticum ἦσθα. V. Markl. Both. et Matth. ad Eur. Iph. A. 340 et cf. Lob. ad Ai. 611. Adde Wellauer. ad Aesch. Choeph. 355, Herm. ad Eur. Herc. fur. 1387. Rariorem Phrynichus vocat p. 236 formam ἔφης et vetustiorem; plerumque ἔφησθα dici testatur. V. Lobeckium et Add. ad Buttm. gr. gr. p. 428 et 430. — Transit deinceps p. 7 ad plusquamperfectum ᾔδειν sive ᾔδη, ᾔδεις, ᾔδης, ᾔδησθα, atque haud iniuria etiam Atticis vindicat communem terminationem ᾔδειν. Adde Pierson. ad Moer. p. 173, Matth. gr. gr. § 198, 4 et §. 231, 2. Thiersch. gr. gr. §. 243, 40, Fischer. ad Weller. II, p. 372, Monk. ad Eur. Hipp. 407. Loquitur Schneiderus p. 8 de formis atticis κλῄς, κλῄω, κλῇθρον, similibus, quas etiam tragicis non prorsus alienas esse recte iudicat, licet negari non

possit, eos frequentius usos fuisse communibus κλεῖθρον, κλείω, e veteri Atticismo servatis. Quum enim tragicorum aetate vocales litterae ionicae η et ω communi atticorum usu nondum receptae essent, id quod sub Euclidis Archontis magistratu, Ol. 94, 2, factum esse constat; (v. Scholion memorabile ad Eur. Phoen. 688, ibique Valcken.) veteri Atticismo assignanda sunt κλεῖθρον, κλεῖς, κλείω, sim. Quum igitur posterioribus temporibus fabulas describerent librarii, recentiorem scripturam ubique inducere, longasque ionicas vocales substituere, suarum esse partium arbitrati fuisse videntur. V. Valcken. ad Eur. Phoen. 268, Popponis Prolegg. in Thucyd. I, p. 212, Lobeck. ad Soph. Ai. 1261, Monk. ad Eur. Hipp. 500; Elmsl. ad Eur. Heracl. 729, Matth ad Eur. Phoen. 64, ad Hecub. 482 et Androm. 495; Maittair. de dial. p. 169, Koen. ad Greg. Cor. p. 100, Thiersch. gr. gr. p. 421 ed. tert. et Buttm. gr. gr. ampl. I, p. 107, cum Add. p. 389, et II, p. 169. De δάϊος, δήϊος, δηόω v. Herm. ad Soph. Ai. 771; de λήϊον, ληστής, sim. cf. Franck. ad Inscr. Richter. p. 18, 19; de Θρήκιος, Θρηΐκιος v. Wellauer. ad Aesch. Agam. 640. — De attico plurali βασιλῆς probabili ratione disputavit Schneiderus p. 9, tragicisque communem etiam formam βασιλεῖς vindicavit. Exemplis ab eo allatis adde Soph. Electr. 690 βραβεῖς, quod nunc quidem recentiores editores contra libros in βραβῆς mutandum esse putaverunt. Ceterum formam βασιλῆς ex ionica forma βασιλῆες vel βασιλέες ortam esse, quae Choerobosci sententia est in Bekkeri Anecd. p. 1195, Lobeckii ad Soph. Ai. 186 et

Schaeferi ad Greg. Cor. p. 101, (cf Markl. ad Eur. Suppl. 666, Dawes. Miscell. p. 122 et Etym. M. p. 473, 37) veri similius est, quam altera ab Eustathio prolata ad Il. α, p. 50, 18, et a Brunckio defensa ad Soph. Oed. Tyr. 18, ἱερῆς et βασιλῆς, cum ι subscripto, attice dicta fuisse pro ἱερεῖς, βασιλεῖς, quippe quae communes formae et ipsae saepissime in optimis libris legantur. Passovius in Ephem. litt. Ien. 1818, No. 147, p. 261, quum vocalis η per se multo sit fortior et quasi crassior ac plenior, quam diphthongus ει, satis apparere dicit, quamobrem atonae formae τριήρεες et πόλεες in τριήρεις et πόλεις, contra accentu intentae βασιλέες, ἱερέες transierint in ἱερῆς, βασιλῆς. Neque Choeroboscus illius ι subscripti mentionem iniecit; sed tantum βασιλῆς ἀττικῶς διὰ τὸ η formatum fuisse docuit. Ex analogia quadam formam βασιλῆς, ab Eustathio memoratam, defendit Schneiderus. Sed vide, quae optimo iure opponunt Poppo in Prolegg. ad Thucyd. p. 221 (cf. eiusdem Observatt. in Thucyd. p. 133) et Buttm. gr. gr. ampl. §. 52, not. 1, 3. Adde Hemsterh. ad Arist. Plut. 807, Maittair. de dial. p. 36 ed. Sturz., Fischer. ad Weller. I, p. 111, et Martin. ad Soph. El. 1442. — Accusativus pluralis e grammaticorum doctrina apud Atticos in έας exiisse traditur; v. Bekkeri Anecd. p. 1190, Thom. M. p. 354 et Fischer. p. 122 et 414. In quae praecepta a librariis, contractam formam praeferendam esse ducentibus, saepe peccatum est. Unum huius accusativi in ῆς exeuntis exemplum Draco Straton. p. 115, 18 se invenisse ait apud Soph. Ai.

390, ubi Herm. omnesque recentiores restituerunt βασιλεῖς, quod optimi codices atque Aldina praebent. Accuratius scriberetur βασιλέας, ut trisyllabum sit, ut Schaeferus in Eur. Rhes. 480 ἀριστέας edidit; v. Matth. ad h. l. et Valcken. Diatr. p. 105. — De accusativo singularis βασιλέα, βασιλῆ v. Matth. gr. gr. §. 83, not. 3, Thiersch. gr. gr. §. 243, 31, Monk. ad Eur. Hipp. 1148, Porson. ad Eur. Hec. 876. Buttm. gr. gr. §. 52, not. 5.

Iam transeamus ad ᾔκασα et εἴκασα, de quibus Moeris p. 182: ᾔκασα, sit, ἀττικῶς, εἴκασα ἑλληνικῶς, ubi v. Sallier.; cf. Eustath. p. 50, 18, Etym. M. p. 166, 36; 121, 38; 419, 32. Omnino quidem attici antiquiores in verbis, quae syllaba ει incipiunt, augmento non utuntur, ut in verbo εἴκω, εἶκον, εἶξα. Itaque forma antiquior, Ionibus etiam propria, sine dubio erat εἴκασα, quae tam tragicis quam Thucydidi unice convenit; v. Popponis Prolegg. p. 226, librariisque solis debemus ᾔκασα illud, quod Brunckius Aristophani recte quidem vindicavit, (v. ad Nub. 350) tragicis non item. Mirandum est, neque Valckenaerium, qui ad Eur. Phoen. 268 in vocabulo κλῆθρα η pro ει a grammaticis inductum fuisse putaverat, satis sibi constitisse, quum ibidem v. 165 ἐξῃκασμένα, ut formam atticam, praetulerit alteri ἐξεικασμένα, neque Porsonem, quippe qui l. l. ἐξῃκασμένα, sed v. 431 εἴκασε ediderit. Utinam cum Matthiaeo vulgatam apud Soph. El. 662 εἴκασας intactam reliquissent Brunckius atque Hermannus. Bene Wellauerus apud Aesch. Choeph. 624 ἐξεικασμένα

retinuit, sed nescio qua negligentia ἤκασα scripserit in Suppl. 285. Cf. Fischer. ad Weller. II, p. 279, Blomf. ad Aesch. Choeph. 623, Matth. ad Eur. Phoen. 162, Ruhnken. ad Tim. p. 95, Matth. gr. gr. §. 167, 5, Schneider. l. l. p. 10.

Mira est grammaticorum dissensio de imperfecti formis εὐχόμην, ηὐχόμην. V. Herodian. p. 314 Herm., et Suidae testimonium s. v. εὐλόγησα, qui augmentum attice omittendum esse dicunt. Contra Moeris p. 175 et Etym. M. p. 400, 36 unice probant ἤκαζον, ηὐχόμην cet. Formae augmento carentes ionicae veterique atticae dialecto, quae etiam tragicos comprehendit, convenire videntur, atque in codicibus nostris aliquanto frequentius leguntur; v. Fischer. ad Weller. II, p. 280, Brunck. et Matth. ad Eur. Hec. 18, Elmsl. ad Eur. Heracl. 305, Schneider. l. l. p. 11. Verbum εὑρίσκω omnino rarissime augeri, nunquam, ne ab atticis quidem, perfectum εὕρηκα atque aoristum εὗρον, apud plerosque constat; v. Buttm. gr. gr. §. 84, not. 3, Herm. ad Eur. Bacch. 32, Lobeck. ad Phryn. p. 140 et 153. Quare non probandum, quod Elmsleius, contra libros, formas augmento instructas in Sophoclem invexit; v. praef. ad Soph. Oed. T. p. 12, et ad Eur. Med. 191. Seidler. ad Eur. El. 380, Popponis Prolegg. p. 227 et Observatt. p. 82. Porson. Advers. p. 152, Herm. ad Soph. Ant. 406, et Schaef. ad Gregor. Cor. p. 532, Ephem. Litt. Ien. 1826, No. 173, p. 428. Ceterum verba, cum particula εὖ composita, a ceteris probe distinguenda sunt; v. Buttm. gr. gr. §. 86, 2, De augmento verborum, syllaba οι incipientium.

v. Matth. gr. gr. §. 168, not., Etym. M. 617, 45, Thiersch. gr. gr. §. 92, 2, 1, et §. 209, 21, Herm. et Elmsl. ad Eur. Bacch. 32, Wellauer. ad Aesch. Suppl. 404 et ad Pers. 753, Reisig. ad Oed. Col. p. 377, Elmsl. ad Eur. Bacch. 686. — De attica forma *ἀνάλωσα* vide praeter eos, quos Schneiderus p. 11 laudavit, Thiersch. gr. gr. §. 243, 37 ed. tert., Ephem. litt. Ien. a. 1826 No. 173, p. 428, Maittair. de dial. p 68, ed. Sturz., Schaef. app. Demosth. p. 497, Elmsl. ad Soph. Ai. 1049, (post Markl. Eur. Iph. p. 313 ed. Lips.) et ad eundem locum Herm. et Lobeckium, qui in omnibus codicibus, exceptis duobus, quos Brunckius, (quem cf. ad Arist. Plut. 380 et ad Eur. Phoen. 1048,), auctore Valckenario ad Eur. Phoen. 591 et Hipp. 856 sequi maluit, communem formam *ἀνήλωσα* legi testatur, quam tueri conatur Schneiderus. Adde Moerid. p. 25 et Thom. M. p. 56. De perfecto *ὤρακα*, *ἑώρακα* et *ἑόρακα* v. Buttm. gr. gr. ampl. I, §. 84, not. 11 cum Add.

Formas *ἠνεσχόμην* et *ἀνεσχόμην* pertractavit Schneiderus p. 11 et 12, rarum etiam illud *ἠνσχόμην*, quod in Soph. Ant. 467 libri omnes praebent, ex epicorum usu atque analogia quadam defendendum esse ratus, de qua cf. Blomf. ad Aesch. Sept. 740, et Fischer. ad Weller. III, p. 99; adde Herm. ad Eur. Hec. 1087, Brunck. et Matth. ad Eur. Phoen. 1420, Blomf. ad Aesch. Choeph. 735, Schaef. Melett. Crit. p. 56 et 135, Thiersch. gr. gr. §. 172, 2 et §. 243, 28. Sed nullo modo ferendum est soloecum illud *ἠνεχόμην*, quod Piersonus ad Moer. p. 176 tam Comico quam Tragicis obtru-

dere conatur; v. Reisig. Coniectan. p. 217, et Porson. praef. ad Eur. Hec. p. 18. Adde Matth. gr. gr. ampl. §. 38, not. 1.

Ad ea, quae de vulgari optativo, qui in *αιμι, αις, αι* exit, Schneiderus attulit p. 12, adde Thiersch. gr. gr. §. 216, not., Buttm. gr. gr. ampl. I, §. 88, not. 5, Koen. et Schaef. ad Gregor. Cor. p. 604, Wellauer. et Blomf. ad Aesch. Agam. 164, Fischer. ad Weller. II, p. 386, Monk. ad Eur. Alcest. 115. Veteres grammatici, ut Eustath. ad Il. *α*, p. 36, et Etym. M. 760, 24, inter vulgarem atque atticam formam statuunt discrimen quoddam. Ille *Τύψαις*, inquit, *ἀόριστον ἔχει τὸν ἐπιθυμητὸν καιρὸν τοῦ εὐκταίου πράγματος· ὁ δὲ εἰπὼν τύψειας ἢ λέξειας εὔχεται τάχιον ἀνυσθῆναι, ὃ εὔχεται*. Non possum, quin grammaticos pro nimio illo minima quaeque extricandi studio, quo abrepti saepe argutias prorsus ridiculas in medium protulerunt, hallucinatos fuisse putem. Quamobrem eos rationem suam Wellero probavisse, mirum est. Rem in medio reliquit Buttmannus in gr. gr. l. l. Nostram sententiam exemplis nonnullis, ex prima quaque pagina electis, confirmare fortasse haud alienum erit. V. Aesch. Sept. 548 *εἴθε γὰρ θεοὶ τούσδ' ὀλέσειαν ἐν γᾷ*, quae verba merum votum continent. At quis est, qui dicat, poetam ideo scripsisse *ὀλέσειαν*, quod Chorus voti sui quam celerrime compos fieri cupiat? Mihi quidem poeta nulla alia de caussa ad atticam formam praeferendam adductus fuisse videtur, quam quod eius usus esset solemnior. Nam quod communis forma *ἀόριστον τὸν ἐπιθυμητὸν καιρὸν ἔχει τοῦ*

εὐκταίου πράγματος, id quidem poetam prohibere non poterat, quo minus ea uteretur, immo vero eum commovere debuisset ad eam adhibendam. Nam si quis exclamat: at te Dii Deaeque male perduint! is profecto optat, votum τάχιον ἀνυσθῆναι, at nihilo minus etiam, ut votorum natura fert, ἀόριστον ἔχει τὸν καιρόν. Cf. Aesch. Suppl. 645 μήποτε λοιμὸς ἀνδρῶν τῶνδε πόλιν κενῶσαι, ubi propter antistrophica communem formam usurpare debuit, non ideo, ut incertum pestis tempus ea significaretur. Idem fere dici potest de v. 1038 ὁ μέγας Ζεὺς ἀπαλέξαι γάμον Αἰγυπτογενῆ μοι. Cf. Eur. Suppl. 854 ἰώ μοι, κατά με πέδον γᾶς ἕλοι, διὰ δὲ θύελλα σπάσαι. Scilicet ex Eustathii regula iudicare debemus, Adrastum, qui illis verbis se devovet, cupere quidem interitum, sed subtimere tamen, ne citius abripiatur ad deos inferos. Neque enim audet forma attica uti, ne vota rata fiant ante, quam ipse cupiat. Sed in refellenda regula; quae omni certo fundamento destituta est, diutius immorari operae pretium non esse videtur. Impulit me ad eam accuratius examinandam Buttmanni anceps sententia, et Fischeri auctoritas, qui saltem plura utriusque formae exempla congerere debuisset. — De futuro attico apud Schneiderum agitur p. 12, sed breviter. Satis copiose hanc materiam pertractavit Matthiaeus in gr. gr. ampl. §. 181, 2. Cf. praeter Herm. ad Soph. Ai. 557, Buttm. gr. gr. ampl. §. 95, 8, cum Add., Thiersch. gr. gr. §. 243, 18, Elmsl. ad Aesch. Prom. 290 (in edit. Blomf.), Matth. ad Eur. Troad. 1242, Maittair. de dial. p. 60. Hemsterh. ad Arist.

Plut. 650; Sylburg. ad Etym. M. p. 536; Suid. s. v. θεριῶ et Phavorin. s. v. κομίζω, Lobeck. ad Phryn. p. 746. Futurum verborum, quae in λω et ρω exeunt, interdum apud Tragicos σ habet; v. Matth. gr. gr. §. 182, not. 1. Neque doricam futuri Medii formam attici poetae aspernati sunt; cf. Brunck. et Matth. ad Eur. Hipp. 1104, Fischer. ad Weller. II, p. 428; de futuro Medii, quod sensu activo usurpabant in verbis quibusdam, cf. quos laudavit Matth. gr. gr. §. 184, not. 1.

Iam pergit Schneiderus ad ionicam formam δύω, quam, licet rariorem, quam attica δύο, tragicis concedendam censuit. Cf. ante omnes Matth. gr. gr. §. 138, et quos laudavit. Adde Herm. ad Eur. Hecub. 45, Brunck. ad Aesch. Prom. 784, Dobree ad Arist. Equit. 1347, Maittair. de dial. p. 46 ed. Sturz., Wellauer. ad Aesch. Prom. 780, et Blomf. ibid. (v. 803), Osann. Syll. Inscr. I, p. 13, 86, 175, Boeckh. Corp. Inscr. I, p. 132, Reisig. Commentt. in Oed. Col. 317, Schneider. ad Soph. Antig. 55 et Thiersch. gr. gr. §. 203, 2 et 243, 33, Goettl. ad Theod. p. 212; Etym. M. p. 91, 35 et p. 289, 29; Eustath. ad Il. α, p. 26, 18 et κ, p. 802, 33, quorum praecepta, quae minime consentiunt, inter se conciliare studet Fischer. ad Weller. II, p. 156.

Quaestionem haud ita facilem, quae est de usu formarum εἰς et ἐς, paucis verbis attigit Schneiderus p. 14. Apud Aristophanem plurimi iique optimi codices plerumque offerunt εἰς, exceptis locutionibus quibusdam, usu vulgari tritis, ut ἐς μακαρίαν, ἐς κόρακας, ἐςαῦθις, sim. V. Thom. M. p. 370.

Metri ratio nunquam fere postulat ἐς. Itaque nuperrime Dindorfius apud Aristophanem ubique restituit εἰς, id quod iam antea Elmsleius auctore Porsone facere coeperat. In tragicorum fabulis non desunt quidem exempla, ubi metrum ἐς exigit, — quod inter numerosas illas Ionismi formas, quarum largam copiam congessimus, referendum est —, sed longe plurimi loci solam formam εἰς tolerant. Cf. Eur. Phoen. 28, ubi utrumque uno eodemque versu legitur: φέρουσ' ἐς οἴκους· εἰς τε δεσποίνης χέρας, — ut recte scripserunt Valckenarius, Porso et Bothius; Matthiaeus enim, nescio quo iure fretus, apud Euripidem unice probare videtur epicum ἐς. Tam ἔσω, quam εἴσω, forma usitatior, apud tragicos tolerandum est. V. Soph. El. 1094, ubi ἔσω quartum senarii pedem efficit, neque εἴσω ferri potest; cf. 1366. Contra εἴσω removeri non potest ex Soph. El. 1483 χωροῖς ἂν εἴσω, ubi ἔσω versum disperderet; cf. Trach. 868, Eur. Phoen. 270. Vide, quos laudavit Schneiderus l. l., et adde Iahnii Annall. Philol. 1829, 2, 1, p. 24, Herm. ad Eur. Bacch. 1053, Popponis Prolegg. ad Thucyd. p. 212, Both. ad Eur. Hec. 776, Elmsl. ad Eur. Heracl. 271, Matth. ad Eur. Phoen. 262 et Orest. 270, Gregor. Cor. p. 77, Elmsl. ad Aesch. Prom. 2, (post edit. Blomf.) p. 176, qui „equidem suspicor, inquit, tragicos nunquam ἐς usurpasse, nisi e licentia poetica, quam vicies tantum sibi permisit Sophocles.“ Porson. praef. ad Eur. Hecub. p. 55, et Schaefer. in Ind. s. v. ἐς; Osann. Syll. Inscr. 1, p. 13; adde Ind. ad Eur. Med., ed. Porson. s. v. εἰς et ἐς; Franck. ad Tyrt. 6, (post Callinum) p. 176, Brunck. ad Aesch.

Pers. 451, Reisig. Coniectan. p. 317, Buttm. gr. gr. ampl. II, p. 292. Pro attico *ἐχθαίρειν* passim apud tragicos legitur rarior forma *ἐχθραίνειν*, quam recte defendit Schneiderus p. 14 contra Porsonem ad Eur. Orest. 292, qui eam ut male sonantem expulerat. De *ἰσχαίνω* et *ἰσχναίνω* v. Porson., Schaefer. et Matth. ad Eur. Orest. 292. De *ξυνηρετεῖν* et *ξυνερετμεῖν*, de *οἴχομαι* et epico *οἰχνεῖν* cf. Schneider. l. l., et Blomf. ad Prom. 122, ibidemque Elmsl. Omnino quidem permagna in tragicorum fabulis copia vocabulorum epicorum, ideoque duriorum reperitur, quae, ad quendam severae atque horridae antiquitatis colorem fabulis suis conciliandum, poetae tragici ex industria interdum affectavisse videntur.

Subiicere licebit pauca, praeeunte Schneidero p. 15, de substantivo *πλεύμων* et *πνεύμων*, quorum hoc antiquius et vulgare, illud vero atticum habendum est; v. Blomf. ad Aesch. Sept. 61, ubi Wellauerus iure repudiavit *πλευμόνων*, invectum a Brunckio contra librorum auctoritatem. Etenim libri optimae notae aliquanto saepius exhibent *πνεύμων*, quod, ut veteris atticismi proprium, apud tragicos certe praeferendum videtur. V. Brunck. et Herm. ad Soph. Trach. 564, Lobeck. ad Phryn. p. 305, Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 147, Buttm. Add. ad gr. gr. p. 385, Blomf. ad Aesch. Choeph. 629, Dind. ad Arist. Ran. 475, 837, Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 50, Fischer. ad Well. I, p. 182, Ephem. litt. Ien. 1826, No. 173, p. 419, Hemsterh. ad Lucian. I, p. 301. — Ionismo veterique atticismo conveniunt formae *θάλασσα*, *πράσσω*, sim.,

dorismo recentioribusque atticis θάλαττα, πράττω. Iam Pericles evitavisse dicitur sibilantes litteras σσ, quas Platonis Comici aetate paullatim obsolevisse constat. Unde sequitur, tam tragicis poetis quam Thucydidi unice convenire σσ. V. Popponis Prolegg. ad Thucyd. p. 210 et Observatt. critt. p. 131, Porson. ad Eur. Hecub. 8, Thiersch. gr. gr. §. 243, 7, Fischer. I, p. 203, Hemsterh. ad Lucian. I, p, 309 sq., Elmsl. ad Soph. Oed. Col. 687, Blomf. ad Aesch. Prom. 20, Etym. M. p. 711, 46 et 757, 3, Valcken. ad Eur. Phoen. 460, 1388, Schneider. l. l. p. 16.

Veteribus atticis, quibus annumerandi sunt tragici, tribuendas esse formas θαρσῶ, ἄρσην, sim. testantur grammatici. V. Koen. ad Gregor. Cor. p. 153, et p. 630, ubi Grammaticus Leidensis ῤῥ tribuit atticae dialecto, i. e. recentiori. Adde Etym. M. 529, 42, Moerid. p. 189, 405, Thom. M. p. 434, ed. Bernard., Abresch. ad Aesch. Suppl. 514, Hemsterh. Append. ad Thom. M. p. 535 et ad Lucian. I, p. 317, Elmsl. ad Eur. Med. 456, Monk. et Wüstem. ad Eur. Alcest. 620, Fischer. I, p. 194, Buttm. Add. ad gr. gr. p. 386, Matth. ad Eur. Med. 466, et in gr. gr. §. 16, 2, c. et quos laudavit Schneiderus p. 16. — De πόῤῥω, πόρσω v. Orion. Theb. p. 134 ed. Sturz., et Etym. Gud. p. 255, 27. — Κνάπτω tragicorum atticismo convenit, molliorem formam γνάπτω Ionismo tribuit Schneiderus, p. 17, ita tamen, ut tragicis non eximendam esse censeat. V. ante omnes Brunck. ad Arist. Plut. 166, Eccles. 415, Soph. ad Oed. T. 1055 et ad Ai. 1031, ubi cf.

Herm. et Lobeck., Blomf. in glossar. ad Aesch. Pers. 582, Hemsterh. ad Lucian. I, p. 301, Ephem. litt. Ien. l. l. p. 419, Gregor. Cor. p. 158, Eustath. ad Il. p. 150, 31, Schol. ad Arist. Plut. 165, Thom. M. s. v. ἄκναπτος, Suid. s. v. ἄντυγες, Pierson. ad Moer. p. 31, et Harpocr. s. v. γναφεύειν.

De formis γίνομαι, γινώσκω, veteri etiam atticismo concedendis, v. Buttm. gr. gr. ampl. II, p. 96, qui ad inscriptionum auctoritatem provocat, et Schneider. l. l. p. 17. Vereor tamen, ne communes illae formae, quae apud tragicos passim leguntur, originem debeant librariorum vitio, quo, Alexandrinae dialecto assueti, eiusdem formas ubique inferunt. Sic in Soph. El. 771 προςγίγνεται, atticam formam, praebet etiam Stob. in Florileg. p. 329 Grot., meritoque, etiam contra codices, eam receperunt recentiores omnes editores. Aeque dubii videri debent loci illi perpauci, a Schneidero allati; nam plerumque unus vel alter codex rectam scripturam habet. V. Elmsl. ad Eur. Med. 14 et ad Oed. T. 692. Neque inscriptionibus, etiamsi tragicorum aetatem attingant, nimium hac in re tribuendum esse censuerim. V. Valcken. ad Eur. Phoen. 1396, Brunck. ad Arist. Ran. 52 et ad Eur. Med. 14, Porson. ad Eur. Med. 84, Matth. ad Eur. Hipp. 304, Wellauer. et Blomf. ad Aesch. Pers. 176, et ad Prom. 104, Popponis Prolegg. p. 208, Passov. in Lex. gr. s. v. γίγνομαι, Moerid. p. 482.

De μικρός et σμικρός, quod magis atticum est, neque tamen obtrudendum tragicis, v. Brunck. ad Arist. Vesp. 5; Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 500,

Popponis Prolegg. p. 210, qui in Thucydide non ferendum censet σμικρός, Matth. gr. gr. ampl. §. 16, 2, d, et Schneider. p. 18. De attico πλέως et communi πλέος, v. Bast. et Schaef. ad grammat. Meermann. post Gregor. Cor. p. 646, Matth. gr. gr. ampl. §. 117, 10, cum Add. p. 520, Schneider. p. 18; de comparativo πλέων sive πλείων v. Popponis Prolegg. p. 223, Reisig. Coniect. p. 43.

De adiectivis verbalibus, quae in στος et τος exeunt, v. Elmsl. et Herm. ad Soph. Oed. T. 205, Herm. ibid. 361, ad Antig. 825, 840, et ad Oed. Col. 1362, Wunder. Advers. in Soph. Phil. p. 34, Reisig. Commentt. in Soph. Oed. Col. 1564, Fischer. I, p. 208 et II, p. 49, Schneider. l. l. p. 18 et 19, Brunck. ad Soph. Antig. 847.

De ἀνύειν et ἀνύτειν v. Porson. ad Eur. Phoen. 463 et Hec. 1157. Forma attica ἁνύτειν, quam auctore Porsone tragicis intulit Elmsleius ad Eur. Bacch. 1098, ab Hermanno summo iure repudiatur ad l. l. (1092); adde Gregor. Cor. p. 70, Thiersch. gr. gr. p. 420 ed. tert. Perperam igitur Blomf. in Aesch. Agam. 1129 ἡνυτόμαν edidit. Apud Thucydidem semper ἀνύτω scribi testatur Poppo in Prolegg. p. 214, quem cf. ad Xenoph. Cyrop. I, 6, 5. Ἅγος pro ἄγος, ἁγηλατήσειν, ἀθροίζω, ἀλύω sim. improbanda in tragicis censuit Schneiderus p. 19 et 20; cf. Elmsl. ad Soph. Oed. T. 402, Blomf. ad Aesch. Pers. 420, et ad Prom. 53; Matth. ad Eur. Hec. 1143, Thiersch. Actt. Monac. II, p. 422, Buttm. Add. ad gr. gr. p. 381, Piers. ad Moer. p. 179, Fischer. ad Well. I, p. 153, 264.

Αὔτως epicum est, veteribusque etiam atticis tribuendum; *αὕτως*, quod Hermannus ad Viger. p. 736 veretur ne sit grammaticorum inventum, apud recentiores atticos non damnaverim. Quod Schneiderus p. 20 *αὕτως* a feminino pronomine *αὕτη* derivandum esse dicit, ineptum est. V. ante omnes Buttm. Lexilog. I, p. 35 — 41, et adde Herm. ad Soph. Phil. 424, Passovii Lex. s. v. *αὕτως*, Thiersch. gr. gr. §. 198, 5. — De rarioribus quibusdam comparativis, ut *ἡσυχώτερος*, *μάσσων*- pro *μείζων*, sim. et superlativis, ut *φίλιστος*, v. Schneider. p. 21, Blomf. ad Aesch. Pers. 444, Brunck. ad Soph. Oed. T. 1301, et ad Ai. 842, Fischer. II, p. 105. De aoristo secundo *κρυφείς* v. Matth. ad Eurip. Suppl. 543, Herm. ad Soph. Ai. 1124, Lobeck. ad Phryn. p. 317, de *συλλεγείς*, *συλλεχθείς*, sim. v. Valcken. ad Eurip. Phoen. p. 356, Porson. ad Eurip. Phoen. 986, Buttm. gr. gr. §. 89, not. 4. Eustath. ad Hom. p. 519, 41. De *πίτνω*, *πιτνῶ*, *ἔπιτνον* v. Wellauer ad Aesch. Choeph. 36, Reisig. ad Oed. Col. 1745, Buttm. gr. gr. II, p. 219, Schneider. praef. ad Soph. Oed. Col. p. 5 — 9. De infinitivo, qui in *ᾶν* sive *ᾶν* exit, v. Wolf. Anall. litt. I, 2, p. 419 — 31, Elmsl. ad Eur. Med. 69, Schneider. praef. in Soph. Ant. p. 5 — 11, Fischer. ad Weller. I, p. 118, Goettl. ad Theodos. p. 226, Buttm. gr. gr. ampl. §. 105, not. 17. De *Ἀθήνησι*, *Θήβησι*, sim. v. Fischer. ad Weller. III, p. 208, Elmsl. ad Eur. Med. 466; de *ι* subscripto in particulis *ἐκείνῃ*, *οὐδαμῇ*, *πολλαχῇ*, *πῇ*, *ὅπῃ*, *λάθρᾳ*, *κρυφῇ*, sim. v. Schneideri praef. in Soph. Antig. p. 11, Elmsl. ad Eur. Med.

520, Jacobs. in praef. ad Anthol. Pal. p. 29, Etym. M. p. 78, 20; de πάντη v. Koen. ad Gregor. Cor. p. 213. De perfecto μέμηνα et de aoristis ἐπήμηνα et ἐπήμηνα, ἐπῆρα, cf. Schneider. l. l. et in libello de dial. Soph. p. 43. De adverbiis quibusdam, in ί et εί exeuntibus, v. Reisig. Commentt. in Oed. Col. 1638, Herm. ad Soph. Ai. 1206, Blomf. gloss. in Aesch. Prom. 216. — Ἐθέλω, epica forma, in tragico trimetro non legitur, sed θέλω; utraque tamen in lyricis atque anapaesticis versibus reperitur. V. Lobeck. ad Soph. Ai. 24, et ad Phryn. p. 7, et 332, Herm. ad Soph. Phil. 1327, Popponis Prolegg. p. 211. De participio θέλων, in trimetris obvio, v. Wellauer. ad Aesch. Agam. 650. Pro ὀδύρομαι apud tragicos passim legitur poetica forma δύρομαι, de qua v. Porson. ad Eur. Hecub. 734, Herm. ad Soph. Oed. Col. 1441, et Wellauer. ad Aesch. Prom. 271.

De εὐτραφής, εὐτρεφής v. Lobeck. ad Phryn. p. 577. — De adiectivis βάκχιος, δούλιος, ἵππιος pro βακχεῖος cet. v. Elmsl. ad Eur. Bacch. 1112, Monk. ad Eur. Hipp. 307, et Matth. ibid. 1267; cf. Valckenaer. ad Eur. Phoen. p. 497, Thiersch. gr. gr. §. 243, not. 8, ed. tert. — De στενάχω, στοναχέω, στεναχέω, quae dubia est forma, v. Buttm. Lex. I, p. 215, sq., Wunder. ad Soph. El. 131, et Franckius ad Inscr. Richter. I, 9, p. 89; de κνυζᾶσθαι et κνυζεῖσθαι v. Herm. ad Soph. Oed. Col. 1567, et Elmsl. (1571), Brunck. ad Arist. Vesp. 977. — In nominibus quibusdam propriis veteres attici praeferunt unum σ pro duplice, ut Κρισαῖος, Κρῖσα, Κασάνδρα, Κηφισός, Ἰλισός,

sed *Παρνασσός*, *Ὑμησσός*; v. Add. ad Buttm. gr. gr. p. 387, Popponis Prolegg. p. 210, Herm. ad Soph. Oed. Col. 693, Osann. Syll. Inscr. I, p. 66, Erfurdt. ad Soph. Ant. 1130, Dindorf. ad Arist. Pac. 1040, Blomf. ad Aesch. Prom. 505, Matth. ad Eur. Phoen. 207, Schaefer. Melett. Crit. p. 1, Boeckh. ad Pind. Ol. 9, 47, et Pyth. 1, 39. — De *Ἐρινύς* et *Ἐριννύς*, *ἐλινύω* et *ἐλιννύω*, sim. v. Porson. ad Eur. Phoen. 1327 et Med. 1254, Schütz. et Blomf. ad Aesch. Prom. 53, Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 502, Iacobs. in Anthol. Pal. p. 258, Buttm. gr. gr. §. 28, not. 14, cum Add. p. 390, Boeckh. ad Pind. Nem. 5, 1, Reisig. ad Oed. Col. 1555; adde Erfurdt. ad Soph. Oed. T. 639, Brunck. ad Aesch. Sept. 490, et ad Arist. Lys. 813, Blomf. ad Aesch. Prom. 525. De *ἀπλακεῖν*, *ἀμπλακεῖν* v. Blomf. ad Aesch. Agam. 336 et Prom. 112, Matth. ad Eur. Iph. A. 124, Buttm. Lexil. I, p. 136, Elmsl. ad Eur. Med. 115, Erfurdt. ad Soph. Oed. T. 474, ed. min., et Herm. de emend. rat. gr. gr. p. 18 sq.

Formae *τοδί*, *ταυτί*, *νυνί* apud tragicos dubiae sunt; v. Porson. ad Eur. Med. 157, Musgr. ad Eur. Ion. 703. De *νῦν* et *νύν* v. Reisig. et Herm. ad Soph. Oed. Col. 96 atque eundem ad Arist. Nub. 142; de *οἴμοι* et *ὤμοι* et *ᾤμοι* v. Herm. et Elmsl. ad Soph. Oed. Col. 521, Matth. ad Eur. Hipp. 1436, Reisig. ad Oed. Col. 816; de *εὐθύς*, *εὐθύ*, *ἄντικρυς*, *ἀντικρύ* v. Buttm. gr. gr. II, p. 289 sq. Lobeck. ad Phryn. p. 444, Goettl. de accent. p. 92; de *μέχρι*, *μέχρις* v. Lobeck. ad Soph. Ai. 571 et ad Phryn. p. 14, Thom. M. p. 135, Moerid.

p. 34, Loers. ad Plat. Menex. p. 155, Baehr. ad Plutarch. Pyrrh. 10, p. 165, Stallb. ad Plat. Phileb. p. 39, Heindorf. ad Gorg. §. 93, Goeller. ad Thucyd. IV, 4. — De ὄφελον et ὤφελον v. Wellauer. ad Aesch. Pers. 879 et Elmsl. ad Eur. Med. 1380. Durior veterum atticorum forma ξύν apud tragicos praeferenda, ut apud Thucydidem; v. Popponis Prolegg. p. 209; adde Osann. Syll. Inscr. I, p. 32, Wellauer. et Blomf. ad Aesch. Prom. 39; cf. v. 243, 295, 976; Reisig. Coniect. p. 300 et Matthaei praef. ad Soph. Phil. p. 15 sq. — Plurima, quae ad encliticorum accentum pertinent, diligenter collegit Schneiderus in praef. ad Soph. Phil. p. 7—12. Etenim in orthographicis hisce minutiis parum sibi constant codices atque editiones, atque ipsi veteres grammatici in regulis de encliticorum ratione constituendis inter se discrepant. Schneiderus igitur scribendum esse docuit οὔτε του, non cum Aldina aliisque veteribus edd. οὔτέ του, ὅστις ποτ', non ὅστίς ποτ', neque τίνός ποτ', πέμψόν τιν', θανόντά τε, εἰσιόντί μοι, sim. Si ποτέ et τινά elisionem patiuntur, accentus ratio eadem est, quae in praepositionibus atque particulis ἀλλά, οὐδέ cet. Alii codices scripta exhibent: οὔτοι πότ', τίνας πόθ', ὧρα τίν', alii sub uno accentu comprehendunt ἔτλη ποτ', οὔτε με, sim. De scriptura εἴπέρ τινος, ὅστίς ἐστιν, sive εἴπερ τινὸς, ὅστις ἐστὶ v. Schneider. Rectius scribendum cum codicibus censet οἴ μοι μοι, quam οἴ 'μοί μοι, atque iure improbavit ἐγώ δ', σύδ', τούς δ', alia, quae Aldina praebet. De accentu pronominum ἡμῖν, ἡμίν, ἧμιν et ἥμιν, ὑμῖν cet., v. Buttm. gr. gr. ampl. §. 14, not. 9, 2, §. 72,

not. 17, Herm. de emend. rat. gr. gr. p. 78 sq. et ad Eur. Hecub. 109, Fischer. ad Weller. II, p. 207, Valckenaer. Brunck. et Matth. ad Eur. Phoen. 777, Hemsterh. ad Arist. Plut. 286, Thiersch. gr. gr. §. 243, 35; Goettl. de accent. p. 104, not., Schol. Venet. ad Hom. Il. *α*, 147, Schneider. l. l. p. 11.

Sed haec hactenus. Quod vero de Aeschyli dialecto verissime dixit Blomfieldius ad Prom. 362: „neque profecto coarctanda est Aeschyli dialectus intra severioris Atticismi limites," id non minus recte de poetis tragicis in universum dici posse, satis demonstravit, ni fallor, copia formarum tam ionicarum et doricarum, quam communium, quas modo examinavimus. Quo minus alia nonnulla, quae in Adversariis meis collecta sunt, in medium proferam, nunc quidem impedit editionum multarum, librorumque grammaticorum penuria, qui olim, quum quinque abhinc annis Dorpati studiis operam darem, benigna praeceptorum optimorum liberalitate in promptu erant, certe aliquanto faciliores comparatu, quam hic in extremo fere terrae cultae angulo. Itaque factum est, ut permulta, quae accuratius pertractare in animum induxeram, vix duobus verbis attingere potuerim. Si quando alius fortasse quispiam totam hanc de dialecto tragicorum graecorum doctrinam copiosius atque latiore ambitu retractaverit, idemque ne meam quidem hanc collectam materiem minutasque symbolas aspernatus fuerit, ego me in hoc libello operam non perdidisse potero arbitrari.

INDEX.

Corrigenda et Addenda.

Pag.	lin.		
8,	14	infra	l. legendo.
9,	11	—	l. ἔκθλιψις.
19,	11	—	l. Γοργόν᾽.
20,	8	—	adde Voss. ad Hymn. in Cer. 253.
22,	13	supra	l. με ζῶντα!
25,	10	—	l. παιδὶ ἐμῷ.
ibid.	14	—	l. de elidendo ι.
26,	9	—	adde Porson. ad Eur. Orest. 584.
ibid.	4	infra	l. Il. λ, 272.
39,	11	supra	l. με προσκείμενοι.
40,	5	infra	l. §. 273.
ibid.	6	—	l. Il. υ, 44.
42,	7	—	adde Porson. ad Eur. Hec. 509.
44,	4	supra	l τἄρα.
47,	11	infra	l. γραμμή ᾽στιν.
54,	8	supra	l. ὁθοὕνεκα.
ibid.	12	—	l. ὁτοὕνεκα.
62,	10	—	l. τῇ μῇ.
65,	med.		adde: de ὦ ᾽τᾶν, sive potius ὦταν, i. e. ὦ ἔταν cf. Sturz. ad Orion. Etym. p. 170, Etym. Gud. p. 583, 28, Osann. ad Philem. p. 220.
66,	13	supra	l. περιόψομαι πελθόντ᾽.
72,	12	—	l. ἐχθρὸς ἀνήρ.
79,	1	infra	l. noster.
95,	lin.	ult.	et Morgensternii Symb. critt. in Plat. Crit. §. 4.
97,	3	infra	l. Ἅιδι.
104,	8	—	adde Ind. gr. ad Eur. Orest. ed. Porson. s. v. ἰσόθεος.
105,	1	supra	l. προστάτην.

Pag.	lin.		
112,	14	infra	l. V. Buttm. gr. gr. ampl. II, p. 292, et cf. Bast. ad Greg. Cor. p. 346 sq., Popponis Prolegg. ad Thucyd. I, p. 211 et Osann. Syll. Inscr. I, p. 242. Dissentiunt Herm. in praef. ad Eur. Herc. fur. p. 3, Elmsl. in praef. ad Soph. Oed. T. p. 11; et Dind. in praef. ad Soph. p. 57.
113,	11	infra	l. ἀμός.
114,	15	—	l. de formis *Τυφώς* et *Τυφῶν, ῶνος* v. Blomf. et Elmsl. ad Aesch. Prom. 362.
115,	14	supra	adde formas epicas *τιμάορος, φάος, αὐτοέντης* sim.; v. Thiersch. gr. gr. §. 243, 11, Valcken. Diatr. p. 8 et 189, Matth. ad Eur. Alc. 45.
119,	14	—	de *δύνα* et *δύνῃ* adde Iahnii Annall. Philol. 1831, 6, p. 152.